ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis, Anno MDCLXXXIII.

JO. SCHILTERI J.C. DE LIBERTATE Ecclesiarum Germaniæ Libri VII. Accedit de Prudentia Juris Christianorum liber singularis: itemqve de Fatis Ecclesiarum per Joannem divinitus revelatis, Dissertatio.

Jenæ, 1683. in 4.

INæstimabile libertatis bonum, cujus desiderio homines, nisi a se alieni, tenentur omnes, adeo majoribus nostris proprium, ut nihil avidius proseqverentur, nullaqve re magis a ceteris gentibus internosci cuperent. Fuere tamen infelicia temporum intervalla, qvando acerrimi libertatis custodes ac vindices pravis artibus occubuere illorum, qvi mutua ope imperii majestatem juvare, eamqve omni re, & obseqvio potissimum tueri debebant. Ecclesia hoc malum in primis experta, cujus libertas ab ortu statim, contra fas ac pudorem, improborum studiis pressa, majoribus obnoxia haut fuit periculis, qvam cum in perniciem ejus conspirarent sacrarum rerum antistites. Qva manu contra, qvove successu aliqvando defensa, per vim æqve ac doctorum ingenia steterit illibata, qvo consilio rursum, & novis adhibitis machinis, vel convulsa inclinaverit sæpe, vel instaurata pristinum splendorem receperit, annalium fide constat. Diversa autem heic sors populorum noscitur, pro administrationis cura, ac sapientum varietate, unde graviora certe civitatum ac magnorum imperiorum momenta æstimari solent. Gallorum felicitas ingens ante omnes, ubi regum potentia, doctrina episcoporum, ac publica eruditissimorum hominum consensione, regnum libertatis floret, jamqve tot sæculis contra vaferrimas aliorum rationes inconcussum persistit. Inter plures hujus

lei testes, æterna sunt nomina, Duareni, Pithoei, Puteani, Marcæ, Basuzii, qvibus ecclesia patria sese plurimum debere, & memor fatebitur semper, & merita digne prædicabit. Nos isthac parte inferiores laudare qvidem possumus industriam, non sine insigni utilitate probatam, qvam in Schardii, Goldasti, & Hortlederi collectionibus fere deprehendimus, sed plenam elaboratamqve tractationem ibi frustra reqvirimus. Ut igitur optimi civis munere fungeretur vir cultu litterarum, judicio, rerum agendarum dexteritate, ac prudentia inclitus *Joannes Schilterus J. C.* post varia exqvisitæ doctrinæ monumenta, e philosophia, civili sacroqve jure, ad communes usus edita, amore tandem patriæ, ecclesiarum in Germania libertati manum admovit, & opus, diu votis præstantissimorum expetitum, primus apud nos septem libris absolvit.

Scopus ei propositus hic est præcipuus, reddere ecclesiam reipublicæ, & concordiam utriusqve conciliare; qvem etiam in comitiis Noribergensibus, anno secundo ac vicesimo sæculi antecedentis, Imperii proceres in oculis habuere, ad formulam primævæ libertatis provocantes: ista autem non impetrata, monstrare, qvæ odia, qvæ discrimina & inveterata mala sint consecuta, qvæqve horum caussæ extiterint, simul ac remedia salutaria apertius indicare. Et ut ordine singula cohæreant, historica serie libertatis naturam ac vim ab origine ecclesiæ Germanicæ repetit, ex incorruptis veteris ævi documentis, in[illegible]nissimarum fabularum commentis ubiqve spretis, vel etiam detectis. [illegible]amqve nuda minime sufficiat instituto præsenti narratio, prudentiæ regulas jungit, & ex divino atqve humano jure tradit luculenter, qvænam ecclesiasticæ libertatis fundamenta habeantur, a qvibus posita ac dirui cœpta, novis per occasionem dogmatibus callide substitutis, aucta superstitione, ac disciplina antiqva prope sublata: itemqve qvo conatu, successu & eventu pleraqve acciderint. Hinc facto jus adplicat, & controversias ex temporum spatiis, qvibus ortæ sunt, æstimatione seria expendit, atqve ad legum normam dijudicat. Neqve etiam raro peramœna digressione in partes vocat civilem libertatem, qvod utraqve arctissime copuletur invicem, & unius oppugnatio alterius opem imploret. Argumenti hujus esse censentur, qvæ de origine Electorum disqviruntur, deqve officiis palatinis in Francorum imperio, de prima eorundem sede, de Germaniarum divisione, de prærogativa imperii, & re-

gni Germanici, de jure Imperatoris *universali*, respectu aliarum in orbe Christiano rerumpublicarum, de Rege Hispaniarum, & jure Imperatoris Germanici in Hispaniam, de jure exaugurandi Imperatoris, & similibus non tam obviis ac vulgo putantur. Sed neqve contentus, ita secundum diversas ætates, ac sæculorum vicissitudines, lites earumqve caussas disceptasse; *deliberativæ* prudentiæ insuper specimina passim exhibet, si qvando *justitia* rei demonstrata, modos recuperandæ libertatis, ejus *impedimenta*, speciosa involucra, simulacra, occultas in ausu atqve *consilio* rationes, his pariter contraria studia inde ab imperio Caroli *Magni* aperit, ac deniqve necessitatem cum justitia reformationis a *majoribus* institutæ, ex fontibus suis diducit. Qvæ de concordia Germanorum, & dissidiorum utrobiqve auferendorum ratione, salva tamen libertate ecclesiastica, alicubi annectit, orthodoxæ ecclesiæ judicio ac moderatiori censuræ ingenue juxta devoteqve submittit. Cognito jam fine, atqve tractandi habitu, in præsenti opere, partito etiam singulorum librorum notitia tradenda foret; verum qvod Scriptor nobilissimus hoc ipsum data opera in *præfatione ad Lectorem* exeqvatur largiter, illac remittimus argumenti hujus studiosum.

Liber *de prudentia juris Christianorum* eo pertinet, ut, qvæ sub initium libri primi de libertate ecclesiarum, de societate inter Deum & hominem dicta sunt, amplius exponantur, ac præterea cultus divinus inter Christianos rationalis magis magisqve innotescat. Magna utiqve prudentia humana patitur deliqvia, nisi huc eatur, & imperfecta illa, mutila atqve corrupta ex divina sapientia mensuram accipiat & complementum. Neqve potest non magni fieri tale propositum, qvo per doctrinæ profanæ gustum, & ordinem proficiendi naturalem, qvæ sancta atqve veneranda ob sublimitatem omnibus esse debent, non sentientibus ingeruntur; ut nosse incipiant, omniqve cura qværant, qvæ antea tanqvam simpliciora longe infra supercilium suum posita existimabant. Similia qvædam conatus erat idem superioribus annis in *morali introductione ad veram jurisprudentiam*, qvæ hoc libro absolvit, & qvænam illa summa in vita morali sperari qveat, qvave ratione comparetur, satis abunde docet.

De *Fatis ecclesiarum* ultimo loco disserit, qvatenus illa per Joannem divinitus revelata sunt, cum ibi multa obveniant, qvæ ad illustrationem faciunt eorum, de qvibus in præmissis actum. Qvamvis autem

meri jam tum hujus revelationis interpretes versentur in manibus eruditorum, id præsertim tamen in præsenti agitur, ut, missis ceterorum opinionibus, perspicua sententia, qvæ verbis ac menti Joannis ex fidei analogia & historica veritate conveniat, apte proferatur. Scopum itaqve primo demonstrat scriptionis divinæ istius, qvod non tam in profundo sensu & recondito eruendo, aut intervallis temporum signandis, qvam in cognitione veri status ecclesiastici consistat, qvalis inde a tempore hujus revelationis, & qvis ille futurus, item, qvomodo ecclesia vera a falsa, christianismus verus a simulato & antichristianismo discerni posit. Mox totius Apocalypseos divisionem ostendit genuinam, eamqve bimembrem: cujus altera pars continet septem epistolas, ad septem ecclesias Asiæ minoris, qvibus fata insinuantur earum, sicut ab initio sese habuerunt; altera vero complectitur capita reliqva, ubi qvo propius ad finem accedit, eo diductior est atqve explicatior. In singulis annotat, *qvid evenerit*, & *sive futuris* adhuc sæculis formam det, sive exempla illorum, qvæ Deus reprehendat, inqve ecclesia cupiat emendari, qvidve supersit, in solatium tamen piorum, ut animo semper præsenti atqve constanti reperiantur, ac velut in speculo lætam contueantur & expectent catastrophen.

LETTERE DI GIAN PAOLO OLIVA, della Compagnia di Giesu, Tomo Primo.

sive

Epistolarum Joh. Pauli Olivæ, Soc. Jesu, Tomus Primus.

Romæ in 4. Bononiæ in 8. 1681.

Auctorem non *Jesuitam* tantum, sed et Societatis *illius*, per totum orbem multas ob causas famigeratissimæ, caput & *Præpositum Generalem* fuisse, satis notum est. Decessit admodum senex Romæ, æstate anni proxime præteriti. Experientia, in urbe tot excellentissimorum hominum sede, per multos annos, in negotiis gravissimis & variis acqvisita, etiam mediocre ingenium excolere potuisset: sed auctori reliqva etiam a natura & eruditione adminicula largiter adfuerunt, qvod vel ex epistolarum hoc Tomo, licet non magno, judicari

haud

haud difficulter potest. Scriptæ sunt *lingva Italica*, numero 5651, interqve eas non paucæ ad summos Principes, magnosqve omnium ordinum viros; admiranda brevitate, maxima elegantia & concinnitate, aliisqve omnibus artificiis, *sine* affectatione tamen adhibitis, qvibus vel superiores demulceri, *vel* pares coli & commoveri, inferiores autem, prout res poscit, graviter aut comiter tractari possunt & debent. Sed præstat qvædam *non vulgaria* ex Præfatione, si non ab ipso auctore, certe a non *mediocris* eloqventiæ aut ingenii viro conscripta, referre. Narratur *autem*, Auctorem duodecim annorum spatio, neqve precibus amicorum, neqve superiorum auctoritate induci potuisse, ut in publicationem literarum suarum consentiret. Neqve enim decorum muneri Apostolici concionatoris, neqve ætati & professioni suæ conveniens putasse, ut chartarum diversissimarum chaos evulgaret. Ante annum etiam hujus seculi qvinqvagesimum exempla literarum non servasse, cum tamen annis validior, curis minus gravatus, & ingenio vegetior esset. Cessisse tandem minis amicorum, qvi dicerent, se post mortem ejus compilaturos & edituros, qvæ ad alios scripserit. Territum vero vel maxime fuisse infelicitate *Cardinalis Pallavicini*, cujus veneratio, aliis scriptis qvæsita, in commiserationem versa sit, cum post mortem ejus epistolæ nullo delectu fuissent publicatæ. Ne igitur suæ ederentur, in universum nempe & promiscue, coactum fuisse qvasdam edere; exemplo fere miserorum, qvi in vinculis se ipsos jugulant, ne palam cadant sub carnifice. pudori tamen suo consuluisse, qvantum licuerit, subtrahendo nimis familiares, aut qvas ingratas fore conjecisset; ideoqve multas jam revisas, imo & impressas lacerasse. Valde vero absonum visum esse ipsi, postqvam plus qvam viginti tomis, de rebus sacris, bibliothecas Societatis augmentasset, epistolas edere, materiæ non semper sanctæ aut seriæ, sed sæpe curiosæ, facetæ, certe humanæ. Deinde merito doluisse, qvod ex epistolarum voluminibus qvatuordecim, amanuensium calamo, per annos præfecturæ viginti collectis, in scriniis, secreti custodiendi causa, servari debeant, qvæ dictaverit; mandata dando, negotia expediendo, nodos solvendo, casus præveniendo, suspiciones diluendo, offensas amovendo, Principibus hoc illudve persvadendo, disciplinam servando, gloriam Dei promovendo: & adigi se patiatur ad edendas reliqvias & qvisqvilias, qvæ exhibeant responsiones ad gratulationes in festis, & oblata munuscula, qvæqve ad mor-

mortes improvisas deplorandas, ad natales infantum celebrandos, ad eventus tristes aut lætos narrandos scripserit. Hoc esse folia præbere, fructus negare; pampinos offerre, uvas pedibus conculcare. Coactum vero ad hoc esse, atqve ita in Scyllæ scopulos illisum, ut voraginem Charybdis evitaret: solatia tamen cepisse ab exemplo celeberrimorum Ecclesiæ doctorum. Nam ut Ennodius Ticinensis Episcopus taceatur, qvi epistolas Rhetorico acumine, & ironiis pungentibus impleverit; Gregorium certe Nazianzenum, summum Theologum, Patriarcham, solitarium etiam, ad Celeusium Præfectum, ad Basilium, Amphilochium, Anisium, magnarum diœcesium Præsules, acutis sæpe jocis, eaqve affabilitate, delitiose aliqvando usum, ut theologiæ & infulæ oblitus videri possit. Augustinum qvandoqve ita scribere in epistolis, ac si sub umbra platani cum familiaribus sermones cæderet. Qvin ipsum etiam Hieronymum, lapide pectus tundentem, vultum cinere fœdantem, scorpiones lateri applicantem, gratias agere lepidissima eruditione Eustochio virgini, fructus in canistello, & flabella ad abigendos culices mittenti. Sidonii deniqve Apollinaris exemplum respexisse, cui epistolæ varii argumenti honorem mitræ, & nomen Sanctitatis non abstulerint: neqve impedierint, qvo minus is a Bellarmino inter sacros scriptores referatur, & in menologiis memoretur. Sperare igitur ex epistolis his, utut indifferentes materias continentibus, neqve ad claustrorum solum disciplinam scriptis, hausturos esse viros etiam religiosos ideas aliqvas, qvibus uti possint ad insipida, qvæ evitari non semper qveunt, condienda. Optare sane ut epistolis conveniat dictum de arbore Apocal. 22. 2. *& folia ejus ad sanitatem gentium.* Additur in fine præfationis excusatio alia, de omissis temporum in editione hujus tomi notis, qvod auctor plerumqve diem & annum exemplis adscribere neglexerit, & autographa sine molestia & temporis jactura haberi & inspici non potuerint; meliorqve ordo in seqventibus tomis promittitur.

MEDULLA THEOLOGIÆ VETERIS TESTAMENTI Exegeticæ, Thetico-Polemicæ, ac Homileticæ; seu Epitome Bibliorum Regiorum, Criticorum, Exegeticorum & vindicatorum, quantum ad dicta Vet. Testam. classica numero CCCXXV. opera Johannis Thilonis, SS. Theol. L. & Lipsiæ ad D. Nicolai Ecclesiastis

Lipsiæ, 1683 in 4.

Cum

Cum *Matthæus Polus* insigne illud opus, qvod Synopsis Criticorum aliorumqve Biblicorum Interpretum inscribitur, indefesso studio elaborandum in se suscepisset, varias & qvandoqve haud leviter inter se pugnantes diversorum Auctorum sententias cordati Lectoris arbitrio potius dijudicandas relinqvere qvam suum ipsius judicium interponere maluit, sufficere ratus, si optimos qvosqve Scripturæ Interpretes in compendio & uno *qvasi* obtutu perlustrandos fideliter exhiberet.

Verum hanc methodum non satis tutam, sed scepticis fluctuationibus, præsertim apud eos, qvi nondum solida Theologiæ fundamenta posuerunt, fores aperturam Vir pl. Rev. L. *Johannes Thilo* Lipsiensis, patriæ suæ dignissimus, dum viveret, Ecclesiastes existimavit, eamqve ob causam in id incubuit, ut Theologiæ Studiosos contra illud periculum qvalicunqve præsidio muniret.

Hoc igitur consilio classica, qvæ vocant, S. Scripturæ dicta qvatuor sectionibus pertractare aggressus est, qvarum *prima* præcipuarum versionum collationem sistit, *altera* circa notas philologicas & exegeticas occupatur, *tertia* pro confirmandis fidei articulis & confutandis adversariis theses qvasdam Theologicas cum suis argumentis & vindiciis exponit, & *qvarta* deniqve usus locales, ut appellat, & homileticos subjungit. Sub finem additus est index variarum lectionum, qvæ circa Chaldaicam & Græcam horum dictorum versionem in Bibliis Regiis Antverpiensibus & Polyglottis Anglicanis deprehensæ fuerant.

Nihil autem in hoc Syntagmate desideramus, qvam qvod optimo Auctori medullam Novi Testamenti eadem methodo concinnare jam parato propositum suum & multorum vota ob mortis interventum implere haud licuerit.

CEREMONIES ET COUTUMES, QVI s'observent aujourdhui parmi les Juifs, traduites d'Italien de Leon de Modena, Rabin de Venise, par le Sieur de Simonville.

id est,

Ceremoniæ & Ritus, qvi observantur hodie inter Judæos, translati ex Italico LEONIS Mutinensis, Rabbini Veneti, per Dominum de Simonville.

Parisiis 1681. & Hagæ Com. 1682. in 12.

Rabbi

RAbbi *Leo de Modena*, qvæ Mutina olim dicebatur, conscripserat Italica lingva exiguum librum *de Ritibus & Ceremoniis Judæorum hodiernis*; qvem cum non sine mendis 1637 Lutetiæ expressum videret, seqvente ipse anno Venetiis accuratiorem edidit, abscissis qvæ displicebant ex prima editione, aliisqve & melioribus in locum illorum surrogatis. Dignus liber Christianis visus fuit, qvi in alias qvoqve lingvas transfunderetur, ut a pluribus legi posset, qvemadmodum Anglicano sermone conversus Londini prodiit 1650; Gallice vero, uti ex Regio privilegio, hujus editionis parti secundæ annexo, apparet, 1674. Qvanqvam vero interpretis nomen in privilegio expressum non est, non alium tamen putamus esse, qvam qvi novæ nunc dedicationi ad Episcopum Meldensem subscripsit, sc. *Rich. Simonem*, h. e. celebrem illũ auctorẽ *Critices Veteris Testamenti*, Aprili mense superioris anni a nobis delineatæ. Judaicus liber concisus & brevis est, novem octernionibus comprehensus; sed in qvinqve partes ita divisus, ut I Ædificia, Vestimenta, Synagogas, Precationes, Lotiones &c. II Lingvam, Studia, Vota, Ciborum genera: III Festos dies: IV. Matrimonium, Circumcisionem, Primogenituram: V. deniqve Hæreticos, Proselytos, Mortem, Sepulturam, Paradisum, Infernum, & his cognata referat. Interpres de suo adjecit præfationem satis amplam, qva meritissimos viros *Buxtorfios* nonnihil pungit, qvod in *Synagoga Judaica*, Pater qvidem sine ordine pleraqve tractaverit; Filius patris Teutonicum foetum Latine editurus partem hujus Judaici libri suo inseruerit, eumqve imitari conatus sit, ut confusionem ex paterno scripto tolleret, sicut etiam multa in illo disjecta sub unum caput revocaverit. Itaqve in eo est præfationis auctor, ut Leonis parvum librum Buxtorfiano grandiori præferendum esse persvadeat, qvod nihil habeat superfluum, multa vero contineat, qvæ ne attigerint qvidem Buxtorfii. Deinde notitiam Judaicorum rituum ex usu commendat, qvem interpretandis S. Scripturis afferant: etiam Hispanicos Judæos tum pronunciatione, tum scriptione Hebraica præstare ceteris docet; cujus rei hanc causam reddit, qvod Hispania olim perfectissimos Grammaticos habuerit, sicut Gallia præstantiores Talmudistas. Hæc ex Præfatione. Ipsi libello interdum Notas interpres subjecit, qvibus cum alias res, tum præcipue Hebræas voces explicat. Qvintæ parti inseruit geminum de *Karaitis & Samaritanis* supplementum. Karaitis, adhuc in Occidente fere incognitis,

gnitis multa falso a Rabbinistis affingi, probat fide Commentarii in Pentateuchum, sub finem seculi XIII manu scripti, cujus auctor Karaita *Aaron Josephi filius* appellatur. Ex qvo sibi constare ait, Karaitas universam V. T. Scripturam recipere, eamqve per seipsam, & qvidem secundum literalem sensum, explicare: traditiones non omnes respuere, sed incertas tantummodo, fabulosas, & ridiculas: in ceteris tam ritibus, qvam doctrinis a Rabbinistis vel parum vel nihil differre. Altero supplemento ritus Samaritarum describit ex ipsorum ad Scaligerum epistolis, qvarum Latinam versionem cum Antiqvitatibus Orientalibus, Morino & aliis observatis, Londini 1682 excusam, mense Junio ejusdem anni p.176 memoravimus. Addit de calumniis, qvibus a Judæis Samaritani onerentur; de Pentateucho aliisqve libris; & itidem de literis illorum ad Doctores Anglos missis, qvarum ultimæ 1676 scriptæ Pontificis Samaritani mortem significent. Tandem qvæstionem admiscet: An hodieqve Samaritani vera sacrificia offerant, qvod constare putat ex literis ad Scaligerum: dignum tamen æstimat, qvod a peregrinantibus diligentius exploretur.

COMPARAISON DES CEREMONIES des Juifs & de la discipline de l'Eglise, par le Sieur de Simonville.

Comparatio Ceremoniarum Judaicarum cum Disciplina Ecclesiæ, per Dominum de Simonville.

Parisiis 1681 & Hagæ Com. 1682 in 12.

IN fronte auctor præscripsit, hunc librum instar *Supplementi* esse ad præcedentem Leonis de Modena. Eadem scilicet brevitate, capitibus XIX plurima pertractat ad religionem & ritus pertinentia. Tenax est cap. 1. hypothesis suæ, qvam in Critica Sacra stabilire conatus est, principium credendi nõ Scripturæ solum, sed & Traditioni asserendum. Qvia tamen acris illa Christi in traditiones Judaicas censura difficultatem facit; remedium qværit in examine traditionum ad præscripta Vincentii Lerinensis. Cap. 2. agit de Theologia & Kabbala: Cap. 3. de morali utriusqve religionis disciplina: Cap. 4. de legibus & auctoritate

magistrorum. Sed cap. 5. de comparatione Synedrii cum Pontificatu Romano, habet, qvæ fortasse non omnibus sui ordinis probabuntur. Pontifici enim majorem potestatem non tribuit, qvam Principi Synedrii, qvi *Hannaschi* dicebatur: Episcopis omnibus jus suffragii decisivi vindicat: Ecclesiam non a Pontifice ejusqve curia, sed ab universa Ecclesia simul sumta repræsentari statuit, cujus caput sit Pontifex D. Petri successor, qvi habeat prærogativam suffragii: neqve nunc dici posse, *Notus in Italia Deus*, sicut olim vere dicebatur, *Notus in Judæa Deus*, dilatato per totum orbem Christianismo. Superfluam etiam esse & & nullius fundamenti qvæstionem, num Concilium sit supra Papam, an Papa supra Concilium. Concilia enim ad Synedrii exemplum constare debere ex Papa, ut præside; & Episcopis, ut presbyteris assidentibus: qvod si schisma oriatur, aliter disqvirendum esse. Capp. 6. & 7. Episcoporum officium comparat cum Capitibus sive Præsidibus Synagogarum in urbibus: & ex eodem fundamento assignat Episcopo Presbyteros, qvorum ipse primus sit, & aliqvando κατ᾽ ἐξοχὴν eodem nomine vocetur. Statuere igitur absqve eorum consilio nihil potuisse. Hodie Canonicos in presbyterorum sive assessorum locum successisse, sed cantionibus fere sacris occupari. Irridet auctores, præsertim Hispanos, qvi Cathedralium Ecclesiarum antiqvitatem ad Apostolorum tempora retrahant: tum nugas agere ait Carmelitas monachos in *novo suo Breviario*, ubi tradunt prophetas, Eliæ successores, in monte Carmelo Ecclesiam B. Virgini exstruxisse, hosqve prophetas Virginem invisisse, & ab hac idem officium recepisse. Laudat veterem tam Synagogarum, qvam Cathedralium vel Episcopalium Ecclesiarum morem, qvæ Scholas synagogis & templis adjunxerint. Tridentinum qvidem Concilium de restituendis ejusmodi seminariis cogitasse, sed alia plane esse, qvæ hodie Episcopi Galliæ instituant. Capp. 8. 9. 10. preces, benedictiones, & Festa utriusqve ecclesiæ comparat. Capp. 11. & 12. Talmudici operis originem & usum enarrat. Capp. 13. 14. 15. de libris Judæorum, qvibus vel in Synagogis, vel in studiis privatis utantur, multa notabilia refert. Cap. 16. Hebraicæ lingvæ notitiam Theologis necessariam aut utilem censet. Cap. 17. methodum ad eam addiscendam facilem ostendit, commendatis Schickardi & Buxtorfii libellis Grammaticis. Capp. 18. & 19. de Liturgiis tam Judæorum, qvam Christianorum satis ingenue agit, dissentiens a Cardinale Bona, qvi Liturgias, Apostolorum nomine insignitas,

gnitas, genuinas esse statuit, qvod auctor probari posse negat. Mutationes etiam Liturgiarum plurimas candide refert, fateturqve, Formulare seu Missale Romanum, *Franciscanorum* potius dici debere; cum ab his concinnatum, & a Nicolao III Pontifice promulgatum sit, & ægre, nec ab omnibus Ecclesiis, receptum. Ita brevi hoc tractatu multa continentur scitu & examine digna, nec operam perdet, qvi illum in Latinum sermonem traduxerit.

INDICES SYNTAGMATIS INSCRIPTIONUM, a THOMA REINESIO collectarum & illustratarum, in modum SCALIGERO-GRUTERIANORUM adornati.

Lipsiæ, 1683. fol.

Quod superiori anno prodierat, in Actis Aprilis p. 89. recensitum, *Inscriptionum Antiquarum*, quas collegerat & Commentariis illustraverat THOMAS REINESIUS *Syntagma*, necessariis Indicibus destitutum fuit hactenus: non sine molestissimo desiderio eorum, qui hæc studia & monumenta litterarum colunt. Subveniendum igitur isti bibliopola ratus, ab harum Inscriptionum studioso *Indices* confieri postulavit. Qvi optimam rationem existimans, qvam invenit Smetius, postea autem perfecit summa diligentia & cura Scaliger, in vasto illo & admirando *Inscriptionum antiquarum totius Orbis Romani Corpore*; ut præcipua quæque & observatu in primis digna, per totum Opus qvomodolibet dispersa, in certas pro argumentorum varietate classes capitaque digereret, ad quæ singula ejusdem argumenti juxta litterarum ordinem referrentur; eandem tenuit: & *viginti qvatuor capitibus* eodem ordine, argumento, & modo, qvem Scaliger servavit, adornatis, velut totidem locis communibus, qvidqvid memorabile tam verborum & notarum, qvam rerum in Inscriptionibus occurreret, collectum digessit: ut tabulis his, ad calcem Syntagmatis apponendis, uno velut obtutu cernere liceat

Templa, Sacerdotes, Aras, simulacra Deorum,
Balnea, Aqvæductus, Septa, Theatra, Vias,
Sacra, Magistratus, Monimenta insculpta sepulcris,
Marmoreasqve omnes Urbis & Orbis opes.

L' AMBASSADEUR oder Staats-Botschaffter/und dessen hohe Staats-Verrichtungen.

De Legato ejusq; munere, Tractatus auctore Dn. de VVicqvefort; ex Gallico in Germanicum sermonem translatus a Joh. Leonhardo Sautero.

Lipsiæ & Francofurti, 1682. in 4.

ETsi post Franciscum Hotomannum, Albericum Gentilem, Hermannum Kirchnerum, Fridericum Marselaerum, Carolum Paschalium, varii de gravissimo Legati munere, dignitate, potestate, juribus ac privilegiis commentarios scribere aggressi sunt; tamen illi ceremoniarum solennia, qvæ Legatum maxime observare oportet, in illis tradere vel omiserunt, vel leviter saltem attigere. Itaqve, ut hanc philosophiæ civilis partem, ab aliis fere omissam, suppleret *Dn. de Wicqvefort*, in libro hoc suo laudabilem operam insumsit. Nam postqvam de jure legationis, legatorum divisione, statu, virtutibus, officio ac privilegiis, certas qvasi regulas proposuisset, easqve cum rationibus tum exemplis ex recenti aularum historia petitis confirmasset, jus illud ceremoniarum, per mores gentium cultiorum introductum copiosissime exseqvi ac illustrare instituit. Qvæ cura ac industria Auctoris amplissimi, cum hac in parte fuerit singularis, pretium operæ se facturum putavit *D. Jo. Leonhardus Sauterus*, si librum hunc Gallico idiomate semel atqve iterum antehac publicatum, in Germanicam nostram lingvam transferret, ut, qvi Gallice nesciunt, eundem vernacula nostra expositum legere possint.

MYSTERIA CERERIS ET BACCHI, in vasculo ex uno Onyche Sereniss. & Reverendiss. Principis ac Domini, Dn. FERDINANDI ALBERTI, Ducis Brunsvvicens. ac Luneburg. per Epistolam ad eundem evoluta, a Johanne Eggelingio, Reip. Brem. Secretario.

Bremæ, 1682. in 4.

Vascu-

TAB. IV. ad A: 1683
pag. 141



E. Andre-Sohn. sc.

VAsculum a sculptore hic exhibetur onychinum, idqve *Mantuanum* appellatum hactenus, qvod fortissimus Heros *Franciscus Albertus*, Dux Saxoniæ Inferioris, Cæsareæ tum temporis summus militiæ Dux, in expugnatione Mantuæ, a gregario ipsi milite qvodam oblatum, centum ducatis id redemerat. Nunc illud in Pinacotheca Sereniss. ac Reverendiss. Principis ac Domini, Dn. *Ferdinandi Alberti*, Ducis Brunsvicensis ac *Lunæburgensis*, Capituliqve apud Argentoratenses Evangelici Senioris, sancte asservatur, capsulæ viridi, holoserico intus & extus obductæ, funiculoqve argenteo cinctæ, inclusum. Nam cum solennibus testamenti tabulis id Princeps supra laudatus destinasset carissimæ conjugi, celsissimæ Principi ac Dominæ *Christinæ Margarethæ*, natæ Duci Mecklenburgi ac Gustrovii, hæc & ipsa per dispositionem testamentariam devolvi id cimelii ad Germanam suam unicam *Sophiam Elisabetham*, Ducem Brunsvicensem ac Gvelpherbytanam, voluit. Qvæ cum *Ferdinandi Alberti*, doctissimi Principis, fuerit mater, ipsi pretiosissimum hoc vasculum, (nam illud 150000 Imperialium pretio æstimatum esse accepimus) tanqvam aliqvod prælegatum, ut JCtorum filii vocant, assignavit. Vasculum ipsum tantæ magnitudinis est, qvanta ære expressa conspicitur ex onyche integro, cui parem Europa vix vidit, constans, &, res insculptas si contempleris, totius paganæ Theologiæ, seu superstitionis potius, compendiarium qvoddam mysterium complectens; ut non abs re censet *Joh. Henricus Eggelinus*, Reip. Bremensis Secretarius in Epistola ad Eundem celsissimum Principem *Ferdinandum Albertum*, qvi incomparabile hoc vasculum hodieqve possidet, perscripta. Cum enim is suam de hoc onyche exponere animi mentem fuisset jussus, ad nutum clementissimi Possessoris se componens, qvid de imaginibus ei insculptis sibi videatur, prolixa epistola, qvæ & typis publicis exscripta est, edissernit. Est autem Eggelingio hoc Vasculum *Guttum*, qvo vinum guttatim in sacrificiis Gentilium svevit. Aliud enim vas est, qvo vinum prægustabatur ante sacrificium, qvod *simpulum* dictum fuisse constat; aliud, qvo inter victimæ illud cornua deinceps effundebatur. Qvo tempore ac loco fabrefactum hoc Guttum fuerit, se dicere haud posse, ingenue profitetur. Ex Appiano tamen colligit, id Mithridatis fuisse Ponti Regis, a Pompejo Magno devicti ac triumphati. Nam in Talauris urbe ejus 2000 pocula ex *onyche* gemma facta, compactaqve auro inventa;

TAB. IV.

Pompejus etiam, ut refert Plinius, tertio triumpho, qvem Mithridate victo egit, primus in urbem *murrhina* induxit, primusqve sex pocula Jovi Capitolino dicavit. Mithridates præterea sacrorum, inprimis Bacchi, eodem Plinio teste, per omnem vitam fuit curiosus. Sed cum Guttum isthoc per binas aureas Zonas in tria segmenta, mediumqve horum in tres iterum classes satis conspicuas distingvatur, de singulis ordine suam exponit sententiam antiqvitatis gnarissimus Secretarius. In prima classe segmenti medii (ita enim vocat) qvæ Sacellum qvoddam repræsentat, qvatuor consistunt personæ, binæ majores, ac totidem minores. *Illarum prima, qvæ vestita qvidem*, sed dextrum humerum cum pectore & pedibus denudat, *Proserpina* ei est, sinistra manu floridum attollens papaver; altera, qvæ geminas faces tenet, *Ceres*, qvippe qvæ Proserpinam sibi a Plutone raptam facibus in Æthna accensis qvæsivisse per universam terram fertur; tertia fœmella in canistro poma præferens, *Pomona*; & qvarta masculus capite vittatus, ac cætera nudus, maritus Pomonæ, *Vertumnus*; qvia & hi Semidei grata ruricolis sint Numina. In secunda classe, qvæ lauro a prima distingvitur, qvatuor itidem personæ sistuntur. Harum prima Eggelingio est *Ceres*, sed in curru constituta, & dextra aliqvid prætendens, qvod in parte epistolæ mythologica muliebre organon esse existimat; secunda *Triptolemus* cum Cerere in curru stans, lorisqve serpentes duos alatos regens: fertur enim *Triptolemus* sationem a Cerere edoctus, accepto abs eadem curru cum alatis Draconibus, id beneficii gentibus celeriter omnibus patefecisse. Ante currum hujus procumbit *Bacchus*, isqve seminudus, & sinistra cistæ mysticæ resupinatæ, sed qvæ uvis plena est, innixus. Juvenis autem alatus supra Bacchum ei est *Zephyrus*, ex antro suo qvasi proruens, & *glebas*, ut Claudianus de eo, *fœcundo rore maritans*. In tertia classe qvaternarius personarum se offert *alius*, tres fœminæ videlicet, cum uno juvene, seu viro. *Illæ Sacerdotes* Græcæ sunt Eggelingio, eæqve ob *verecundiam erga Deos* vittatæ. Et prima qvidem dextra porcam offert, sinistra papaver. Cereri enim & sus & papaver, qvod & *Cereale* Virgilio dicitur, offerri consuevere; sus qvidem, qvia excavatis scrobibus terram convulsisset, papaver autem, qvod terram tum rotunditate, tum montium ac vallium inæqvalitate, tum seminibus innumerabilibus, *sic censente qvidem* Phornuto, scite repræsentet. Altera Sacerdos album hircum seu arietem adducit cor-

nibus,

nibus, (nam & Cereri Virenti mactatus est Aries, teste Eupoli) læva phialam cum uvis ac piris adfert. Tertia sedens in canistro fructus genibus sustinet, dextra spicam. *Juvenis*, qvi propter ficum arborem fiscinam capite ficis aliisqve *fructibus* plenam gestat, Eggelingio videtur esse *Phytalus*. Huic enim Ceres, cum hospitio excepta ab eo esset, ficum plantam, ut Pausanias refert in Atticis, elargita est. Sacris ipsis ita expositis, ad *instrumenta* pergit auctor, qvæ in inferiori vasculi zona sunt exhibita. *Hic* primum intuentibus occurrit calathus cum mappa, isqve *panibus*, ut Eggelingio videtur, repletus ex papavere forte confectis; dein binæ faces decussatim junctæ: nam facum in sacris *Eleusiniis* longe maximus fuit usus; porro canistrum aliud, sed qvod cognosci ob gemmæ foramen, qvod ad emittendum per aureum tubulum liqvorem spectabat, cognosci satis nō potest. Canistra enim in sacrificiis adhiberi solita, qvæ ex cannis, unde & dicta sunt, contexi mos erat. Seqvuntur Tibiæ, sacrificiis & ipsæ solennes, & facies Bacchi seu Apollinis, cui supposita est *Fistula disparibus septem compacta cicutis*. Conspiciuntur etiam in fundo (loqvimur ex mente Eggelingi) patera & urceolus, qvæ & ipsa ad solennem sacrificii ritum spectabant. Deniqve & saccus exprimitur fructibus refertus & cista mystica, cui draco insidet, & cui caput senile, qvod Sileni esse auctor autumat, est adsculptum. Additus est & fasciculus, isqve thyrsorum forte vel ferularum. *In segmento* superiori jugamentum lemniscatum conspicabile est, idqve ex implexis frondibus, floribus, pomis, frugum spicis, boumqve craniis contextum. Sed ne sic qvidem mandato Serenissimi Principis fecisse satis sibi visus est Eggelingius, nisi & mythologiam sacrorum horum subjungeret. Ostendit igitur in his sacris vetustissima ac maxima qvæqve Theosophiæ gentilis contineri. Nimirum cum Sole nihil pulchrius atqve utilius, terra nihil benignius advertissent Gentes, illum patrem, hanc matrem Deorum atqve hominum appellabant, variisqve nominibus ac cultibus ob varia beneficia venerabantur. *Bacchus* enim Sol est; cui serpens tribuatur, eo qvod corpora humana, infirmitatis pelle deposita, reviresccre qvasi faciat; *Ceres* terra, mater fœcundissima, cujus fœcunditas non per organon tantum muliebre, sed & canistra fructibus repleta, nec non per frondes, flores, & crania boum (nam sine corruptione nulla fit generatio) denotetur. Deinde & qvatuor anni tempora ex qvatuor signis idem interpres elicit. Nam *Ceres* vestita

stita & faces tenens *hyemem*; *Proserpina* pectore ac pedibus denudata, & papaver manu gestans, *ver floriferum*; *Vertumnus* nudus *aestatem*; & *Pomona autumnum* significare illi videntur. Imo & qvatuor Elementa ex aliis signis producit; per *Cererem* nempe *terram*; per *Triptolemum*, noctu in ignem a Deo clam obrutum, *ignem*; per *Bacchum* a Nymphis educatum, *aqvam*; & per *Zephyrum aerem* indicari existimans. Caeterum Bacchus cistae mysticae innixus securitatis rusticae ipsi est symbolum; & Bacchus seminudus, morum in compotationibus detectio; nec non Sol de die terram illustrans, & de nocte se abscondens.

* * * *
* * *

Et haec illa Cereris & Bacchi sunt mysteria, prout ex vasculo illo onychino a clarissimo Eggelingio sunt evoluta. Nobis simile qvid in mentem statim venit, simul atqve Onychem aere expressum conspicere sine evolutione Eggelingiana licuit. Et primum qvidem Thesmophoria, qvae & ipsa in honorem Cereris erant instituta, expressa in eo censebamus; sed re accuratius pensitata, sacra Eleusinia, μυςήρια κατ' ἐξοχὴν dicta, & qvibus tota Graecia, imo orbe universo, nihil celebratius sanctiusqve fuit habitum, sic figurata esse deprehendimus. Neqve enim eadem Thesmophoria sunt, id qvod multi existimant, cum Eleusiniis. Illa enim Cereri τῇ Θεσμοφόρῳ, ob acceptas videlicet leges, celebrabantur; haec in memoriam errantis ob raptam Proserpinam Cereris, & inde acceptarum frugum. In his autem Eleusiniis sacris & memoria Bacchi, cui sua alias peculiaria erant festa, recolebatur, eo qvod, cum Cereris e Jove filius esset, una cum matre sororem Proserpinam apud Plutonem accensa face qvaesivisset; unde & sexto Eleusiniorum die Jacchum myrto coronatum ac lampadophorũ producebant. Vide Joh. Meurs. *de Eleusin. c.28.* De caetero, qvamvis Delii hariolatoris nomine non indignum censeamus Eggelingium, dissimulare tamen non possumus, nobis onychem hunc paulo fixius intuentibus diversas ab illo conjecturas circa imagines qvasdam fuisse obnatas. Ac primum qvidem impetrare a nobis non potuimus, ut crederemus, *Vertumnum* & *Pomonam*, qvamvis minorum gentium Deos, in tam exigua statura fuisse repraesentatos. Nobis initiati videntur duo sic exprimi. Qvi enim mysteriorum horum participes fiebant, in sacello qvodam exiguo illis initiabantur. Athenienses autem his mysteriis etiam liberos suos adhuc pueros initiari certo tempore curabant. Sed cur nudus, inqvies, alter

tam

conspicitur? Forte, qvia vestem suam, qva initiatus fuerat, jam laceratam Cereri ac Proserpinæ dedicarat. Initiati enim, qva tum veste amicti erant, eam nonnisi longo usu detritam deponebant, depositamqve Cereri ac Proserpinæ consecrabant; qvod ex Aristophanis Scholiaste *Meursius in libro* jam allegato *c. 12* luculenter docet. Adde, qvod denudatio corporum in sacris Eleusiniis fuerit longe freqventissima. Qvod Cererem in altera classe exhibitam attinet, ea vas muliebre manu prehendere creditur. Sed virile nos, nisi sculptor aut oculus nos fallit, agnoscimus. Neqve id præter morem sacrorum horum. Nam, ut testatur Tertullianus adversus Valent. c. 1, *in sacris illius* (Cereris) *simulacrum membri virilis revelatur*; qvanqvam pro muliebri vel ea sat loqvuntur, qvæ Clemens Alexandrinus in Parænetico, & Arnobius Lib. V adversus Gentes de detecto Baubonis pudendo, tanqvam gratissimo Cereri spectaculo, referunt. Et qvis nescit, sacra Eleusinia celebrari obscænissima licentia qvadam consvevisse? In tertia classe fœmina illa tertia, qvæ propter ficum in saxo sedet, sacerdos est Eggelingio, sed nobis videtur *Ceres*. Nam uti in prima classe ut facem gerens, & in altera ut Triptolemum in curru instruens, ita in tertia in saxo sedens ac reqviescens efformata est. Nam Ceres in sacris Eleusiniis τὸ πάντα est. Neqve causæ qvid obstat, qvo minus & hanc fœminam agnoscamus Cererem. Spicam certe, præter canistrum fructiferum, in genibus repositum dextra sustinet, qvæ perpetuum Cereris in nummis insigne est; & spicam qvidem, ut videtur, hordeaceam. Nam hordeum cummaxime in sacris Eleusiniis, præter molam & liba, adhibebatur, idqve in campo Rhario natum. Nec aliud certaminis Eleusinii, qvod septimo die instituebatur, erat præmium, qvam hordeum, qvippe primum Eleusine natum. *V. Meurs. l.c. c. 28.* Accedit, qvod cum Ceres Proserpinam qværens Athenas pervenisset, a Celeo hospitio excepta in saxo respiravit. Sic enim *Ovid. lib. IV Fastorum*;

Sic venit ad portus Attica terra tuos;
Hic primum sedit gelido mœstissima saxo,
Illud Cecropidæ nunc qvoqve triste vocant.
Sub Jove duravit multis immota diebus,
Et lunæ patiens, & pluvialis aqvæ;
Sors sua cuiqve loco est, qvi nunc Cerealis Eleusis
Dicitur, hæc Celei rura fuere senis.

Sed & hæc conjectura est, qvam nemini obtrudimus. Ad pedamentum vasculi ut descendamus, faces primum conspiciuntur, decussatim positæ, eæqve majores. Nam qvinto Eleusiniorum die faces Cereri dicabant Athenienses, deqve magnitudine invicem concertabant. *V. Meurs. l. c. c. 26.* Facies illa, qvæ medio loco exhibetur, nobis Bacchi videtur, non Apollinis, qvodqve capiti suppositum est, non fistula ex septem cicutis compacta, qvæ Pani tribuitur, sed fasciculus fistularum duobus ligamentis constrictus. Nam Bacchus una cum Cerere invenisse fruges, & cum validissimo exercitu magnoqve tibiarum fistularumqve concentu peragrasse orbem, & agriculturam docuisse mortales fuit creditus. V. *Nat. Comes Mythol. L. V, c. 14.* In fundo jacent duæ πλημοχόαι inversæ h. e. vasa fictilia ad turbinis figuram accedentia, leviterqve in fundo compressa, qvibus nono Eleusiniorum die Athenienses utebantur, unde & hic ipse dies πλημοχόης nomen retulit. Nam qvod patera videtur esse Eggelingio, nobis est pars inferior alterius πλημοχόης. Nono enim ultimoqve mysteriorum die binas plemochoas implebant, unamqve ad ortum, alteram ad occasum statuebant, tandemqve utramqve, mystica aliqvot verba præfati, evertebant. V. *Meurs. l. c. c. 30.* Restat, præter saccum malis punicis plenum, cista mystica, cujusmodi circumferri in sacris Eleusiniis solebant. Nec aliter Ceres Ægyptiis culta sub Isidis nomine. Ita enim *Apulejus lib. XI Metamorph. Ferebatur ab alio cista secretorum capax penitus celans opera magnificæ religionis.* Erant autem in illa, ut Clemens refert in Protreptico, reconditæ sesamides, pyramides, lanæ elaboratæ, liba multis distincta umbilicis, micæ aliqvot salis, draco, mala punica, corda (in Græcis est καρδίαι, sed Reinesius Var. Lect. lib. 1, c. 23, substituit κράδαι, & exponit, *rami ficulni, cacumina ramorum, συκῆς ἀκρεμόνας*; nos legeremus, κριθαὶ *hordea*, ob causam paulo ante adductam) ferula, hederæ, placentæ & papavera. Dixerimus hunc qvoqve morem κακοζηλίαν fuisse Diabolicam, simiamqve DEI his ipsis cistis *mysticis* Arcam illam Fœderis (in qva tabulæ lapideæ, decem præcepta Dei digito scripta continentes, aurea item urna habens Manna, virga Aaronis qvæ floruerat, & liber Deuteronomii servabantur) imitari apud paganos voluisse. Sed qvid sibi vult Draco cistæ insidens? & qvid caput barbatum eidem adsculptum? Serpens alias anni vertentis semper fuit hieroglyphicum. V. *Pier. Valer.*

Valer. Hieroglyph. lib. 14, c. 4, & 7. Recte igitur serpentes tribuuntur Cereri seu Terræ, qvia qvotannis fert fruges, recte & Baccho seu Soli, qvi & serpere Lucretio dicitur:

Annua Sol in qvo contundit tempora serpens.

Caput autem barbatum aut Saturni est, qvem Ceres Patrem habuit (nam in sacris Eleusiniis major, qvam Bacchi, ejusqve pædagogi Sileni habenda ratio,) aut Æsculapii, qvem βαθυπώγωνα fuisse Lucianus in Jove Tragœdo tradit. Nam octavus Eleusiniorum dies ἐπιδαύρια dictus in honorem Æsculapii, qvi Epidauro Athenas, ut sacris initiaretur, advenerat. Æsculapio autem Draco fuit dicatus; Cujus fabulæ mythologiam si excutias, redit eadem cœli anniqve, de qva modo diximus, circularis revolutio. Cum enim Æsculapius, Apollinis filius, nihil aliud sit, qvam aer a Sole temperatus ac salubris redditus, hanc salubritatem Sol (sunt verba *Natalis Comitis lib. 4, c. 11*) *per anniversarias sui cursus conversiones, vicissitudinesqve caloris ac frigoris, hominibus impertit.* Nec aliam ob causam duo serpentes Æsculapii amplecti alibi cernuntur baculum, qvam *qvia Sol, e qvo ipse nascitur, qvasi senectutem deponens, incipit a principio arietis vires resumere, donec ad cancrum perveniat, atqve cum illo multa & herbarum & animalium genera vires resumunt.* V. *Nat. Com. l. c.* Sed hæc conjecisse sufficiat. Oculatiores forte erunt alii, qvibus aut major eruditionis antiqvæ est apparatus, aut qvibus vasculum ipsum inspicere licuerit.

AUGUSTI BUCHNERI ORATIONUM Academicarum Volumen Secundum, Festas continens.

Dresdæ, 1682. in 4.

Cum plures Poetæ pariter atqve Oratores, tum superiori tum nostra ætate exstiterint, qvi, si non superarunt veteres, certe æqvarunt aut proxime attigerunt illorum gloriam, vel principe inter hos loco constituendus venit *Augustus Buchnerus*, Poeta atqve Orator Academiæ Wittebergensis non intra Germaniæ tantum fines, sed apud exteros qvoqve longe celebratissimus, isqve Dresdæ d. 2 Nov. 1591 natus, & Wittebergæ d. 12 Feb. 1661 vivis ereptus. Et meritissimo qvidem id suo. Erat enim Varro sui temporis, & cum reliqvis politioris literaturæ

sapientiæqve veteris præsidiis instructus largiter, tum terso cumprimis ac numeroso dicendi genere plane admirabilis. Nam uti optimos qvosqve aureæ illius ætatis Scriptores vasto animo fuerat complexus, ita mera scriptitabat aurea, imo auro contra chara, & latinissimis Scriptorum veterum monumentis comparanda dicam, an præferenda? Postea qvam igitur emissis in orbem literarium limatissimis scriptis legentium qvorumqve animos velut iyngibus attraxisset, insatiabili qvadam cupiditate, qvicqvid tum in prosa tum in vorsa ab eo erat compositum, ab eruditioribus fuit expetitum. Collectæ itaqve abs dignissimo ejus & genero & successore Ottone Prætorio *Orationes Panegyricæ* & *Orationes Funebres*, & A. 1669 Wittebergæ in lucem publicam emissæ. Collectæ etiam ante qvadriennium ejus *Epistolæ* ad Illustrissimos Heroas clarissimosqve viros scriptæ, eæqve in duo volumina redactæ. Recusæ etiam Francofurti & Lipsiæ 1679 *Dissertationes Academicæ* in 4, qvæ duobus ante libris in 8 comprehensæ, auctore adhuc vivo prodierant. Sed *Festæ* adhuc desiderabantur, h. e. illæ, qvæ tum Catharinalibus seu festo Facult. Philos. in Acad. Witteb. die, tum in solenni Magistrorum promotione, tam ab aliis, (nam & ea problemata, qvæ Magistri noviter creati pronunciarunt, elaboravit) qvam ab ipso dissertissimo Viro fuerant recitatæ. Igitur & illæ tandem blattis tineisqve ereptæ, & cura industriaqve Mart. Gabrielis Hubneri, qvi & reliqvis Buchnerianis libris obstetricantes manus adhibuit, adhibebitqve ulterius, in Electorali Dresda publicatæ. Hæ Festæ Orationes, numero XXIII, si genus dicendi spectes, non cothurnatæ sunt omnes æqve ac Panegyricæ volumine primo compræhensæ, at latinissimæ tamen, & svavissimo omnigenæ conditionis nectare veluti irrigatæ. Sunt enim & argumenta illarum varia, qvæ breviter non percensere non possumus. In *I* disserit Orator de Statuis Magico ritu consecratis, ubi varia de Iyngibus & Rhombis Magicis Scriptorum loca explanantur; in II de Imaginibus, in qva Baronium potissime, antiqvitatem Imaginum in Annalibus hinc inde propugnantem, scite atqve erudite confutat. In *III* id qvæstionis ventilat, num nomina Idolorum inserenda sint carminibus? Ita autem censet, abstinendum Christiano penitus Deorum nominibus, majorum qvidem, qvos vocant, gentium præcipue, nisi aliqva urgeat necessitas, reliqvorum autem non nisi rarissime & caute, & cum accurato delectu per tropologiam aliqvam, neutrorum autem cum aliqvo

liqvo divinitatis elogio utendum esse. In IV problematice qværitur, qvid dicendum de Sidonio, Ennodio, Ausonio, aliisqve, qvi Joves, Martes, Phœbos, Apollines, Minervas, Veneres, Parcas, Nereides, Charitas, Musas, sua ingredi carmina sunt passi. In V reprehendit, qvi Deorum nomina secure ac perlicenter usurpant; absolvit tamen, qvi & parce, & sobrie, & cum judicio sibi id permittunt. Addit, cautione olim ea in re fuisse opus, eo qvod in medio paganismo Ecclesia fuerit constituta; hodie nihil tale magnopere extimescendum, cum in tanta veritatis luce nemo his nominibus offendatur. Nihil itaqve impedire, qvo minus in profano carmine Martem pro furore, Bacchum pro ebrietate vel vino dicamus; sed in carminibus sacris, & cum de fidei nostræ mysteriis loqvendum, omnino ab illis abstinendum. In VI agit de Mimica Diaboli, qva cultum Dei sibi vendicavit, tum personas sanctas, tum res ac ceremonias populi Judaici imitatus. Dicit enim Diabolum imitatum esse Mathusalemum in Nestore triseclisene, Noachum in Baccho, Mosen in Zoroastre, Simsonem in Hercule, Christum a Prophetis prædictum in Phœbo, Baccho bimatre, Æsculapio & Bellerophonte. Deinde repræsentasse Urim & Thumim in Oraculis, Hammonio & Dodonæo, Hierosolymitanum templum in Delphico, vestes item Sacerdotum candidas & lineas, lotionem ante rem divinam, *integras & sine labe hostias, primitias frugum, decimas*, sacros panes, abstinentiam a sangvine animalium, jejunia & res sacras oleo perfusas. In Orat. VII totus est occupatus in Eusebio Pamphilo refellendo, qvi in Constantini Oratione auctoritatem Sibyllinorum carminum ex qvarta Virgilii Ecloga adstruit, & ex Poeta hoc Prophetam facit. In VIII locum in tit 18, L.6, Cod. de *Mathematicis* exponit, ostenditqve 1, non alios intelligi hac voce, qvam Astrologos, qvi ex nativitatibus hominum & observatione stellarum futura monent; 2, hoc Astrologiæ genus Romanis legibus damnatum semper ac severissime fuisse prohibitum. In IX ex professo agit de Prudentia temporum seu recognoscentia illorum atqve observantia, qvam novo vocabulo *discretionem* Itali, rectius *discernentiam* dicerent. Intelligit autem excellentem illam animi virtutem, qvæ momenta omnia temporum, locorum, rerum, ne minutissima qvidem negligens, acute dispicit, perite æstimat, solerter discutit, subductisqve rationibus callide statuit, qvid agendum, qvid omittendum, qvod prius, qvod posterius, & qvo commo-

dissime & efficacissime tractandum modo. In X, qvæ inscripta est de docendi munere, id potius disceptatur, utrum parentes magis qvam præceptores revereri atqve observare oporteat; sed tandem cum multa tum de parentibus tum magistris magnifice ac vere prædicasset, non postponendos præceptoribus parentes censet, illos puta, qvi liberos a se procreatos cum cura atqve solicitudine educant, instituendosqve aliis tradunt. In XI qværitur, an recte mentem Platonis damnaverit Themistius Peripateticus, qvod eos populi Rectores constituendos esse dixisset, qvi essent Philosophi aut certe philosopharentur. Dixerat enim Themistius, Platonem hanc sententiam periculose admodum enunciasse, laudaveratqve meliorem Aristotelis sententiam, qvi non philosophandum esse principi, at philosophos tamen in consilium adhibendos ab illo esse pronunciaverat. In XII negat 1, periculose locutum fuisse Platonem; neqve enim eos ab illo intelligi Philosophos, qvi conclusiones argute nectant, & magna volubilitate lingvæ de vero & falso, de honesto & turpi disputent, cætera nihil eorum facientes, qvæ præcipiant; hos enim Sophistas esse Platoni atqve Aretalogos, sed qvi juste, moderate, fortiter atqve prudenter agant, & officia vivendi, qvæ scirent, non omitterent. 2, negat, meliorem hac in re Aristotelis esse sententiam. Satius enim esse, si & ipse sapiat princeps, atqve ad lancem vocet suggesta ab aliis atqve dispiciat. In Orat. XIII disqviritur: Utrumne in Oratione latina exotica seu peregrina, Græca puta & alia admisceri cum laude possint. In XIV respondetur, nec abstinendum plane externis vocabulis, nec nimis indulgendum, & cum judicio ac delectu adhibenda esse. Posse v. g. usurpari in epistola ad Amicos Eruditos scribenda, in Comœdia, Satyris & Epigrammatis, in dissertationibus item Philosophicis ac Theologicis, sed necessitatis aut doctrinæ, non ostentationis causa. In seriis autem operibus atqve orationibus præsertim, in Heroicis etiam Carminibus & Tragœdiis, aut abstinendum prorsus a Græcis, aut certe rarissime parcissimeqve illis utendum. In XV qværitur, an Historici, qvi operibus suis interserere conciones solent, improbandi sint vel approbandi? In XVI respondet, non deculpandos esse Historicos, si in orationibus id genus ingenii vim & artificium dicendi exerant, cum Historia Eloqventiæ sit opus; Historicos etiam non delectare tantum, sed & insigniter prodesse, dum præclaros conceptus de rebus suppeditent, gravissimasqve rationes & consilia de rebus

rebus maximi momenti eleganti idoneaqve oratione exprimant. In XVII hoc ζήτημα proponitur; num accusandi vel castrandi veniant historici principum vitia sceleraqve enarrantes, eo qvod majestatem principum polluere, pudori offendere & integritatem legentium corrumpere videantur. In XVIII contendit Orator, non dissimulandas esse hallucinationes atqve enormitates principum; cum veritas omnis historiæ fundamentum, speculiqve instar esse debeat, qvod non decora tantum & elegantias, sed nævos atqve verrucas in homine exhibeat; finem præterea historicorum esse, ut componendo virtutes & vitia, illarum amorem ac studium, horum fugam atqve odium animis inculcent; idemqve factum in sacris literis, multorum libidines, adulteria, incestus aliaqve scelera referentibus, In XIX qværitur, 1 an Cæsar ita sit dictus, qvod ex utero sit cæsus, ut Suidas, Cedrenus atqve Etymologicum magnum refert. 2 cur Claudianus principem distingvat a Cæsare, cum Cæsaris tamen appellatio eandem, qvam Principis vox, potestatem designet? In XX enarratis variis de voce Cæsaris sententiis, refellit Græcorum adductorum fidem, ostenditqve, non Julium primitus sic dictum, sed ante ipsum longe plures ex gente Julia. 2 apud Claudianum, Cæsarem non alium esse qvam Candidatum Imperii seu designatum ejus hæredem, nec aliter differre Principem ibi a Cæsare, qvam Imperatorem hodie a Rege Romanorum. In XXI qværitur, num Misnia dicta sit a Misna rivo, secundum Detmarum, Episcopum Martisburgensem, an a missionariis militibus hic collocatis, secundum Radericum, an a Mysis, populo antiqvissimo, secundum Melanchthonem, Peucerum, Reineccium atqve Albinum? In XXII explosa primum & prolixe qvidem sententia Philippo-Reinecciana, ac deinde Radeviciana, Detmarianam amplectitur, Misniam ab amniculo Misnæ denuncupatam, cum & aliæ clarissimæ urbes ab obscuris fluviolis sortitæ nomen, & Detmarus loco & tempore fuerit Misenæ proximus, Martisburgo qvippe residens & 41 annis post Misenam conditam natus. Additur tandem Festis hisce orationibus Oratio XXIII tanqvam pulcherrimum corollarium, Oratio inqvam de Pace ab illustrissimo Heroe H. a F. A. 1641 scripta, cui & Index rerum in hoc volumine contentarum subjungitur.

JACO-

JACOBI THOMASII ORATIONES argumenti varii.

Lipsiæ, 1683. in 8.

APem Atticam Xenophontem, alterum illud cum Platone Socraticæ amœnitatis lumen, ob mirificam eamqve inaffectatam jucunditatem dictum olim fuisse accepimus. Nos eodem jure Apem Philuræam salutare nunc possumus *Jacobum Thomasium*, Philosophum atqve Oratorem Academiæ hujus, qvam patriam agnoscit, famosissimum. Is enim uti apis sedulæ instar per floriferos scriptorum omnis generis volitavit saltus, ita libavit in illis omnia, & incredibili diligentia, qvicqvid mellificio suo inservire unqvam-usqvam est visum, in cellulas suas, qvas plurimas habet, constipavit. Nec alia ejus dictio est, qvam Xenophontea h. e. mellea, & ab ipsis Musis velut instillata. Loqvuntur id præter *Præfationes* superiore anno editas, *Orationes* ejusdem luci publicæ nunc nuper expositæ, eæqve juxta seriem temporum, qvibus habitæ sunt, ordinatæ, & doctissimis hinc inde scholiis illustratæ. Has numero XXI in duas classes partitur Auctor ipse in præfatione ad Lectorem, in *septem* videlicet *juveniles priores*, & *XIV viriles reliqvas*, &, posteriores hasce qvod attinet, harum argumenta partim ab ipsis temporibus fuisse imperata scribit, partim ab ipsomet liberrime fuisse lecta, qvoties videlicet cunqve Orationis aliqvid in honoribus Philosophicis conferendis pronunciandum ipsi fuerit. Qvod si priores percurras cum reliqvis, earum alias Historicas, alias Philosophicas, *alias* Theologicas, qvoad materiam primariam, esse videas. Histo*ricæ sunt* XI de Regibus Poloniæ, IV de Augusto, Electore Saxoniæ, *VI de* Mauritio El. Sax. VII de Christiano I, V de Christiano II, *X de* Georgio, Principe Anhaltino, it. XIV de Alexandro Alesio *natione* Scoto, & Lipsiensi Theologo, cujus vita a nemine antehac, *qvod sciamus*, memoriæ fuit prodita, & XVI de Jacobo Wellero, *magno illo* Saxoniæ Theologo, nec non II de disputatione Lipsica *Lutheri* cum Eccio, & XIX de congressu Lutheri cum Cardinale Cajetano. Philosophici argumenti sunt: IIX de Felicitate Literatorum, *IX* pro Aristotele habita, negante idoneum Ethicæ auditorem esse juvenem, XII de Secta Nominalium, XIII de Ideis Platonicis exemplaribus, XV de Syncretismo Peripateticæ

ripatetico (qvanqvam hæ tres ad historicas qvoq; ob historiam, qvam spirant, Philosophicam referri qveunt) XX illorum errori opposita, qvi præexistentiam animarum humanarum adstruunt, & XXI de præstantia vitæ Theoreticæ. Θεολογικωτέραι sunt: I ostendens, mysterium SS. Trinitatis ex ratione, clauso Scripturæ sacræ libro, ductu luminis naturalis cognosci haud posse ac demonstrari; III de potentia Angelorum, XVII Eucharistica pro pace Turcica, & XIIX de Indulgentiis Pontificiis, earumqve expugnatione. Deest orationibus his tersissimis juxtim atqve eruditissimis non minus, qvam *Præfationibus*, Index rerum notabilium necessarius. Sed in eo jam nonnemo est, ut indicem utriqve libello adjiciat, eumqve postea literato cum orbe communicet; id qvod non præsignificare Lectoribus hic loci non possumus.

OBSERVATIO ATQVE EXPERIMENTA circa usum Spiritus Vini externum, in hæmorrhagiis sistendis.

NEminem illorum, qvos inventa hujus seculi Physica atqve Medica sollicitos tenent, usus *Liqvoris* illius *styptici* latet, qvem Colonellus qvidam Gallus *Vivient* dictus, superioribus annis invenit, qviq; per Galliam, Angliam, Daniam, Germaniam aliasqve provincias, non sine Inventoris singulari fama, & marsupii turgescentia circumlatus fuit, ita qvidem, ut hoc per varios successus comprobato, remedii hujus conficiendi rationem Potentissimus Magnæ Britanniæ Rex 5000 Imperialibus comparaverit. Ex vitriolo & alumine medicamentum hoc constare, pleriqve augurabantur; an bene, vel male, impræsentiarum haud disqviram: licet, qvem ante octennium circiter ex gratiosa manu Generosissimi cujusdam Viri, cum summa asseveratione, eum ab ipso Inventore Gallo immediate prodire, acceperam, Liqvor per varias circumstantias ingredientia hæc testaretur. Ast cum sangvinem in grumum condensando, & obice hoc vasa sauciata seu lacerata obturando illum stypticam virtutem exerere, multi tunc temporis assererent, simileqve ex illius applicatione mihi qvoqve phænomenon conspicere contingeret: cogitabam annon Spiritus vini qvoqve idem præstare, i.e. fluxus sangvinis compescere posset? Observabunt siqvidem mecum cuncti, qvi experimenta physica non abhorrent, aut forsan me haud monitore observarunt, spiritum illum sulphureum, sangvinem, qvem

excipit fluidisſimum e vena eductum, coagulare, ſeu in grumum ſpiſſum maxime, & carnem compactiorem referentem, cogere; ut illius potentiæ coagulatoriæ taceam, qvam in bilem qvoqve exercere, mechanica docet: adeoqve non plane paradoxam theoriam illam meam judicabunt, qva ſimili modo eundem in ſanginem vitalem qvoqve forſan acturum, i.e. hujus aliqvam portionem coagulaturum, hinc hæmorrhagias vulnerum, vaſorum etiam notabiliorum, ſtiturum, augurabar. Dum autem & hic experiebar, rationem ſine experientia, pariter ac navim ſine rectore fluctuare & a dubiorum infinitorum procellis agitari, varia in canibus hunc in finem adornabam experimenta, horumqve vaſa non tantum minora, v. g. in tibia, ſed majora qvoqve, ſc. cruralia & jugularia, venoſa æqve ac arterioſa, aliqvando arteriam ſolam, interdum ejus ſociam venam ſimul, modo ſecundum longitudinem findebam, modo transverſim reſecabam; & a ſola Spiritus vini ad pauca momentula applicatione conſtipabantur hæc, ſangvisqve ſtabat, ac nunqvam expectationi ſucceſſus haud reſpondebat. Qvamvis autem nec in diſcindendis ac lacerandis vaſis, nec in applicando ſtegnotico una eademqve ratione me uſum fuiſſe recorder, nihilominus repetitis tentaminibus cuncta removere dubia cunctasqve penitus explorare circumſtantias haud detrectavi, inter operandum ſeqventes obſervans encheiriſes. Sc. *primo*, ſufficienter ac probe removi integumenta externa, cutem ſc. cum pingvedine, &, qvi interdum obſtabant, muſculis, ut nuda conſpicerentur vaſa diſcindenda, neqve illorum moles aut contractio hæc aperta comprimendo, obſtruendo, aut qvocunqve modo obturando id præſtarent, qvod liqvori meo adſcripſiſſem. *Deinde* ſecundum longitudinem freqventius, rarius per transverſum, vaſa ſauciavi, pariter ne horum extrema vel ſpaſmis propriis *corrugata*, vel a partibus adjacentibus, in qvas retrahuntur, *compreſſa*, *ſine* ullius etiam medicaminis uſu, hæmorrhagiam ſupprimerent: qvemadmodum ex Chirurgia notum hic ſuppono vaſorum *in partibus* muſculoſis laceratorum, hinc hæmorrhagiæ *remedium*, ſc. ut reliqvis cunctis irritis illa per *transverſum* diſcindantur. Fiſſuras tamen has *tertio* ſatis longas, & nuperrime in vena jugulari externa, qvæ in cane longe eſt interna major, harum unam digiti latitudinem æqvantem paravi, deſiderato tamen cum ſucceſſu. *Qvarto* in applicatione Spiritus vini ita me geſſi, ut prius aliqvid ſangvinis, qvi de vera vaſis laceratione teſtaretur,

tur, emiserim; hinc, sine ulla vel *arteriæ* in parte superiore, vel venæ in inferiore, compressione, *splenium*, modo simplex, modo duplex, liqvore illo imbutum, plagæ *imposuerim*, digitis vel propriis vel ab uno adstantium mutuatis hoc *qvam* levissime apprimendo, i. e. vix potentiorem, qvam qvæ *pulsui* explorando solennis, compressionem adhibendo. *Qvinto fluxu* sedato, interdum animal cum plumaceolis iisdem, cum Spiritu *vini* de novo imprægnatis, & fasciis commodis deligavi, ac per *aliqvot* horas qvietum detineri curavi: crebrius tamen sine ulla *fasciatione* dimisi, ne stillicidium qvidem sangvinis in eo observans, ut ut *varie* se volutaret, ambularet &c. *Tandem* ultra qvadrantis horæ spatium me compressionem liqvorisqve admotionem nunqvam continuasse, testabuntur, qvi obstetricantes manus his meis experimentis commodarunt; imo post pauca horæ minuta sæpius ad deambulandum martyres hos chirurgicos dimisisse, memini: semper Spiritum vini magis dephlegmatum celerioris efficaciæ deprehendens.

Ast de Experimenti fide certo modum qvoqve operandi indagare placuit, i. e. an Spiritus vini, prout qvidem olim opinabar, sangvinem congrumando, an vasa potius constringendo, effectum illum præstaret? Ubi remotis plagulis circa vulnus vix me unqvam aliqvid coaguli sangvinei vidisse recordor: qvid tamen proxime superioribus diebus in cane, cujus primo arteriæ cruralis, statim sub abdomine, truncum, & hac constipata postmodum venam jugularem externam aperueram, qvemqve his factis mox strangulari curaveram, deprehenderim, referre lubet. Nempe post trihorium sufficienter lustrata plaga consolidata, nulloqve circa hoc viso grumo, per superiorem & intra abdomen reconditam partem immittebam stylum, tentaturus, an hic ad inferiora detrusus vulnus vasis rumperet: ast qvamvis eum sursum ac deorsum agerem, sine laceratione tamen, qvam metuebam, hoc contingebat. Aperiebam arteriæ ejusdem partem inferiorem, ut per hanc styli prodiret apex globosus, qvi tamen nullum sangvinis grumulum protrudebat. Hinc locum ipsum affectum, qvi reliqva arteriæ parte durior & rubedinis obscurioris erat, incidebam: nec intra labia, nec meatum hujus aliqvid sangvinis deprehendi. Venæ jugularis vulnus, pariter nulla grumositate externa stipatum, ab immisso a parte superiore stylo promptius hiscebat, forsan, vel qvod Spiritus vini contactum brevius longe, ac arteria dicta, sustinuerat, vel qvod tenuior longe existe-

ret ejus ſubſtantia, vel impetuoſius forſan inſtrumentum adigeretur: per vulnus autem recrudeſcens cum ſangvine fluido tantillum qvoqve congelati prodibat, qvem effectum Spiritus vini ſuſpicatus fuiſſem, niſi mox in aliis partium internarum venoſis vaſis, v. g. vena portæ, ſimiles grumorum ſangvineorum moleculas mecum vidiſſent adſtantes. Alterius cujusdam ſubjecti arteriæ & venæ crurali dextris transverſim reſciſſis ac intra pauca minuta conſolidatis, itidem immittebam ſtylum, hunc ad extremitates illarum deſuper movendo: ubi ſingularem obſervabam harum anguſtiam, inſtrumentum non niſi difficulter admittentem; imo hujus apex per aperturam protruſus, membranulam qvandam tenuiorem videbatur ſimul promere, ſimilem forſan pelliculæ tenerrimæ, qvam vaſorum plagis liqvorem ſtypticum Gallorum inducere *Acta Hafnienſium* perhibent. Qvibus accedit, qvod Spiritus vini non ſtatim & ex tempore ſangvinem in grumum cogat, econtra momentaneo qvaſi contactu partibus corporis ſolidioribus, v. g. carni, cerebri & epatis ſubſtantiæ, nervis &c. firmitatem notabilem, imo tractu temporis duritiem, inducat, fibras ſc. earum conſtringendo & harum laxitatem cum denſitate commutando. Et ultra qvadriennium aſſervo cor in muſeo meo, e cadavere humano extractum, qvod poſt aliqvot tantum dierum in ſpiritu vini ſimplici macerationem, oſſeam fere ſoliditatem induit, omnisqve ideo putredinis adhuc expers cernitur: ita ut veroſimiliter augurari liceat, liqvorem conſtringendo ſeu denſando in vaſa potius, qvam ſangvinem agere, ſicqve hæmorrhagias compeſcere, qvod illis minus paradoxum videbitur, qvibus illius virtus in vulneribus conſolidandis & gangræna arcenda maxima innoteſcit.

HIPPOCRATES DE INUSTIONIBUS ſive Fonticulis. Opus Hiſtoriis Medicis refertum & in Praxi utiliſſimum, Auctore R.R. Doctore Medico.

Lugduni 1681. in 12.

QVanto Hippocratis amore atqve admiratione Auctor hujus libelli, ſc. *Raimundus Reſtaurant*, teneatur, vel exinde colligere licet, qvod pluribus ſuorum ſcriptorum titulis ejus nomen affixerit. Edidit ſiqvidem olim idiomate Gallico, *Hippocratem de uſu frigidi potus*, *Hippocra-*

pocratem de Circulatione Sangvinis, *Hippocratem de China Chinæ*, imo in præsenti tractatu librum suum *de Usu Vini Emetici in curatione febrium malignarum ad mentem Hippocratis*, item *Hippocratem de usu Lactis in curationibus morborum*, allegat. In Præfatione hujus nostri in Martianum & Helmontium invehitur, fonticulorum & cauteriorum usum ex Medicorum scholis plane proscribentes: pariterqve illis contradicit, qvi hactenus crediderunt, hæc remediorum genera non nisi superfluos ac vitiosos humores educendo operari. Hinc novam & paradoxam proponit & explicat sententiam, hæc ipsa *stimulos* saltem existere, *qvibus attracto ad partem ægram necessario igne, reseratis ductibus, qvi obsidentur a crudis succis, natura partis nutritioni incumbere possit, superflua, observato naturalis circuitus ordine, per emunctoria consveta expellat, aut calorem in partes oppositas revellat.* Qvod idem in ipsius opusculi (in 5 libros digesti) *Libro primo*, præmissa secundum principia Hippocratea doctrina de Natura Hominis, repetit. Qvo facto regulas, inustiones feliciter præscribendi, tradit, spectantes affectus in genere, cum circumstantiis aliis simul observandis, v. g. constitutionis s. temperiei, molis corporis atqve ætatis: ac cum *Helmontius*, doctrinam Medicorum de Catarrhis oppugnans, lemma suarum thesium fecerit *Catarrhi Deliramenta*, contra illum *Sapientiam Catarrhi* adstruit. Seqventibus vero in libris de morbis in specie agit, qvos inustionibus profligare satagit. Theoriam ac ætiologias, qvibus in his cunctis utitur, mittimus; ast legi merentur historiæ & observationes ejus practicæ, qvas illis subinde intermiscet, qvales v. g. sunt qvas pag. 245 de contumaci alvi fluxu per applicatum occipitio cauterium sedato; p. 248 de hypercatharsi enormi, vesicatoriis in nucha applicitis, cedente; p. 277 de hydrope, qvi, aliis omnibus incassum tentatis, eadem partium superiorum inustione sæpius feliciter sanatus fuit, it. pag. 322 de febre hectica per fonticulos subacta, recenset.

MAGNUS HIPPOCRATES COUS REdivivus. Tomus primus, Physiologica continens,

Auctore R.R.

Lugduni 1681. in 12.

PHysiologica hæc corporis Oeconomia specimen qvasi totius operis est, qvo hominem ex duobus principiis, aqva nimirum & igne, constare idem Auctor asserit: qvoqve dispositionem totius Hippocraticæ Physiologiæ, in qvinqve Libros digestæ dispositionem, horumqve summa capita tradit.

LE MEDICIN DE SOI-MEME, OU L'Art de se conserver la Santé par l'Instinct.

i. e.

Medicus sui ipsius, seu Ars sibi sanitatem conservandi per Instinctum,

Lugd. Bat. 1682. in 12.

ANonymus hujus Libelli Scriptor, cum observasset, qvanto hactenus Medicina atqve Medici contemptui se exposuerint, ponderassetqve causas, propter qvas illa æqve ac hi negligendi videantur, demonstrare conatur hoc opusculo, artem Medicam homini non magis, ac brutis necessariam esse. Qvemadmodum enim bruta per qvandam Medicinæ speciem, qvam in se ipsis habent, & qvæ ab eorum instinctu naturali dependet, se in statu sano conservant, suosqve morbos curant, hincqve arte illa vana ac deceptoria, cujus mancipia nosmet profitemur, supersedent: ita nos, qvi communi cum brutis animali natura gaudemus, cum illis qvoqve hac medicina domestica & qvasi connata uti debere, & ex ea eadem emolumenta pro conservanda ac restituenda sanitate nostra petere posse, si modo, ut illa, hujus consilia & monita seqvamur.

Qvod ut commodius præstet, in *prima* Scripti hujus *parte* prolixe declarat, hominem æqve, ac animantia cætera perfectiora, instinctu seu appetitu qvodam naturali gaudere, per qvem ad bonum apprehendendum & malum fugiendum feratur: seu certum qvoddam principium vel potentiam agendi cunctis animalibus inesse, qvod causa omnium illorum actionum, præprimis illarum, qvæ horum conservationem concernunt, existat; adeoqve nec homini, qvatenus animal, seu ut corporeus est, denegandum, cujus ope, abstracta rationalitate, pro sui conservatione easdem cum illis actiones exerceat, id est, media insultibus morbosis resistendi habeat, nisi animalis in homine naturæ

con-

conditionem deteriorem pronunciare velimus. Atqve hunc qvidem Instinctum animalem seu naturalem non tantum in hominis primis & tenerioribus annis observari putat, *dum* infans v. g. nutricis mammam mox apprehendit ac sugit, *anteqvam* hujus lac sibi nutrimentum necessarium esse dignoscat, *ignotos* & sibi ingratos, præprimis qvi ex ulnis nutricis aut *matris illum* eripere tentant, horret ac fugit, non sane qvod malum sibi emergens prævideat, utpote ad ratiocinia ejusmodi formanda *minus aptus*; sed in provectiore qvoqve ætate nonnullas hominem *actiones* edere, qvas rationi adscribere vix liceat; V. g. qvando *qvis* mente negotium magni momenti seu ponderis volvit, simul *tamen* alimenta, de qvibus haud cogitat, assumit, utpote negotio illi unice animum omnem applicans: aut cum qvis rerum arduarum meditationi ac deliberationi affixus, simul tamen frigescens, ac cameram foco instructam subintrans, hunc mox petit, corpus, non mentem, illuc convertendo: aut cum maniaci & ad brutalem stuporem redacti, sine omni rationalitate actiones satis arduas edunt, solo naturæ impetu ad has impulsi. Sicut proin Instinctus hic naturalis brutis principium adæqvatum contingat sanitatem conservandi morbisqve medendi: ita idem sufficere qvoqve posse putat noster Auctor cunctis hominibus, qvi eo eundem in finem uti haud detrectant; qvatenus maximam morborum partem præsentiscamus, *illorum qvoqve*, qvi subito nos obruunt, sine dubio per merum hoc principium. Dum non solum *illi*, qvi morborum procellas aliqvando sustinuerunt, sed & qvi ab iisdem per totum vitæ tempus immunes extiterunt, fateri cogantur, qvod sæpius morbi ingruentis signa in se perceperint, qvamvis aut *diæta* accuratior, aut exercitium corporis conveniens, aut qvædam evacuatio, aut naturæ robur hunc in prima herba interdum extinxerit. Per qvod autem principium, nobis cum brutis commune, homines æqve ac *illa affectus* sibi obvenientes qvasi præsagiunt, per idem qvoqve illorum remedia hos reperturos credit, nisi aliæ diversæ curæ eos ab investigatione illorum arcerent: potissimum cum constet, plebejos & agrestes homines, utpote aliis negotiis haud distractos, ac necessitate qvadam (qvatenus ruri degentes a Medicis & pharmacopoliis remotiores sunt) ad sui suæqve sanitatis studium compulsos, si per instinctum illum naturalem ad evacuandum v. g. corpus adigantur, simplicia, qvæ natale solum fert, assumere, hisqve sæpe morbos alias incurabiles sanare; Imo cum temporibus & in locis illis, ad qvæ Medicina in

artis

artis formam redacta nondum pervenerat, nec adhuc pervenit, homines æqve commode vivant, plures morbos per euporista facilius ac tutius sanent, imo longæviores extiterint atqve existant, qvam illæ gentes, qvæ de natalibus singulariqve cultura hujus artis gloriari poterant, eamqve adhuc indefesso studio exercent. Concludit E. qvemlibet hominem per instinctum proprium se in statu sanitatis conservare & a morboso vindicare posse, modo illum observet ac seqvatur, & qvidem cum majore ac feliciori qvam in brutis successu, dum ratio qvæ reliqvis animantibus denegatur, illo melius uti, & inter remedia unius speciei, selectum huic vel illi individuo adæqvatum instituere concedat.

Qvare in *parte secunda* signa, qvibus mediantibus Instinctus morbos ingruentes ac metuendos dignoscit, expositurus, qvædam de caussis horum præmittit, qvas Medicos superiorum æqve ac hujus seculi latitasse putat, ac in remotiores, sc. affectus animi & errores in diæta commissos, atq; proximas, nempe plethoram & fæcum alvi diuturniorem justo retentionem, qvalitates vitiosas sangvinis massæ imprimentem dividit, adeoqve primarium morborum internorum focum seu sedem, non, ex communi sententia, pancreas, mesenterium, epar &c. sed vasa potius sangvifera cum intestinis, & inter hæc potissimum Colon, proclamat, hocqve freqventiorem illorum radicem esse prolixe non minus qvam curiose comprobat. Signa vero morborum, per instinctum naturalem observabilium, recenset plura, v. g. lassitudinem spontaneam, coloris in facie & habitu mutationem, marcescentiam corporis, somnolentiam, vigilias, animum prostratum, sudores nocturnos, siccitatem faucium, appetitum imminutum &c. qvæ tanqvam totidem nuncii, qvos Medicus noster internus emittat, periculum sanitatis indicent. Qvibus diversas subnectit historias, qvarum prior evincit euporistis simplicioribus ac plebejis medicamentis sæpius in morbis curandis plus perfici, qvam Medicorum dogmaticis consultationibus atqve præscriptionibus: altera, qvantum impatientia ac morositas ægri sanitatis recuperationi obstet, declarat: tertia mortis metum, qvarta nimiam curiositatem seu subtilitatem, & qvinta medicinæ aliqvam cognitionem ægris interdum valde nocivam testantur.

In parte tertia remedia recenset modosqve suggerit, evitandis morbis, qvos Instinctus monstravit, congrua. Ubi in genere simpliciora compositis majoris efficaciæ declarat, horumqve studium accura-

tius

tius & naturæ ductui conforme a Medicis hactenus neglectum fuisse dolet. Hinc in specie causarum morbificarum rationem habendo, qvibus modis pathematis animi horumqve effectibus mederi liceat, disserit; diætam seu moderamen in assumendis alimentis Venerisqve usu præscribit; tandemqve causarum proximarum intuitu sangvinis abundantiam seu plethoram per venæ sectionem, ac fæcum diuturniorem in Colo moram per clysteres & purgantia, simul tamen diæta accuratiore & venæ sectione pariter adhibita, solvere docet; his immiscendo talia qvæ venæ sectionem contra ejus osores defendunt, simul tamen ejus abusum vituperant: exceptiones ac difficultates circa clysterum ac purgantium usum & vires destruit, horumqve utendi modum ac tempus exponit. Practicorum autem vulgarium, item Chymicorum fumivendulorum methodum & medicamina rejicit, demumqve in genere tempus & modum remediis medicis utendi subdit, una cum cautela, qvantum astris horumqve influxui vario tribuendum sit.

ERASISTRATUS, SIVE DE SANGVINIS Missione. Auctore Luca Antonio Portio, Medico Romano.
Venet. 1683 in 12.

QVemadmodum ea, qvæ per venam incisam promovetur, sangvinis emissio inter probatissima remediorum genera locum suum hactenus tenuit, cum a cordatioribus Medicis in periculosissimo qvandoq; morborum statu (ubi videlicet sangvinis copia uberior, aut orgasmus ac exæstuatio intensior præprimis urgent) ad auxilium vocata effectum, qvem spondet, salutarem fere semper præstet, nec unqvam facile conceptam de se spem inani eventu frustretur: ita & non minus detestandus ejusdem abusus nostris temporibus in tantum invaluit, ut non raro ceu gladius in manu furentis plurimorum hominum interitum ante diem perficiat. Videmus siqvidem haud paucos ex medentum turba, immo integras adeo nationes ac populos tam immani flagrare cruoris siti atqve cupiditate, ut absqve discrimine in morbis tantum non omnibus, nullo neqve ægroti, neqve occasionis respectu habito, ad phlebotomum statim, tanqvam ad sacram anchoram, recurrant, utut intempestiva hujusmodi ac immoderata sangvinis profusio-

ne nihil aliud pene efficiatur, nisi qvod decumbentibus (qvibus siccâ morte perire amplius non licet) ad evitandos cruciatus diuturnos artificioso hoc compendio vitæ terminus acceleratur. Hanc ergo perversam sangvinis prodigalitatem ut ex animis popularium suorum excuteret *Lucas Antonius Portius, publicus Romæ Medicinæ Professor, vir gravis & non tam artium liberalium studiis, qvam animi candore atqve ingenuitate clarus* (mactat eum hoc elogio Gregor. Roscius in Præfat. ad Lect.) præsentem emisit libellum in IV dialogos distributum, qvorum interlocutores producuntur Erasistratus, Helmontius, Galenus ac Th. Willis, isti sangvinis missionem omni modo dissvadentes, hi vero eandem exemplo suo ac rationibus comprobantes.

Proinde in *primo* dialogo potissimum disqviruntur ea, qvæ in communi circa evacuationes ex corporibus animalium notari debent; proponitur doctrina plethoræ, tam ejus, qvæ qvoad vasa, qvam qvæ qvoad vires esse dicitur; abstinentia etiam a cibo ac potu, qva methodici veteres in curationibus morborum ut plurimum usi fuere, qvid emolumenti conferat, qvid detrimenti, explicatur. *Secundus* obstructiones vasorum sangviferorum, & qvæ inde conseqvuntur, inflammationes, hasqve vel cum, vel sine venæ sectione sanandi methodum exponit. *Tertium* dialogum format discusio eorum argumentorum, qvæ ad evincendam Phlebotomiæ utilitatem a natura in morborum crisi spontaneis sangvinis eruptionibus interdum sibi opitulante petuntur, & probandi vim ipsis nullam inesse fuse monstratur. *Qvarti* deniqve summa est examen historiarum Medicarum a Galeno atqve Willisio pro asserenda Venæ Sectionis præstantia adductarum, ubi & obiter mentio injicitur diversarum animi affectionum, qvas venæ percussio tum in ægro tum in adstantibus ciere solet, harumqve curatior tractatio peculiari operi (cujus & in dedicatione hujus libri ad Christinam Sveciæ Reginam jam tum spem fecit Auctor) reservatur; universa autem postremo venam secandi ratio tanqvam res anceps & periculi plena, a qva nihil proficui certo exspectari possit, damnatur ac rejicitur.

Qvo vero Galeno nihilominus sua qvaliscunqve constet auctoritas, sub finem hujus opusculi adjecta est lepida nec inficeta *Galeni Apologia*, in qva coram Erasistrato graviter se excusat hic Medicinæ Parens, errorisqve incuria potius qvam consulto commissi reatum serio depreca-

precatur, culpam protinus omnem in sectatores suos servum pecus devolvens, qvi nimia dogmatum suorum admiratione abrepti carbones sæpissime pro thesauro, h.e. pro *genuinis* scientiæ Naturalis ac Medicinæ principiis absurdissima ut*plurimum* & exsibilanda utiq; commenta recipiant; namqve si *secundum* regulas & cautiones a se traditas venæ sectio institui debeat, *tunc* vel nunqvam, vel rarissime admodum sangvinem esse *mittendum*.

L' OPTIQVE, PAR LE P. PIERRE ANGO, de la Compagnie de Jesus,

h. e.

P. Petri Ango, e Societate Jesu, Optica in tres Libros divisa, omnia illa, qvæ ad propagationem & proprietates Luminis, Visionem, Vitrorum visui perficiendo inservientium figuram & dispositionem spectant, facili methodo demonstrans.

Parisiis in 12. 1682.

A*Utor* hujus Tractatus, tribus Libris tria sigillatim argumenta, in frontispicio explicata, complexi, ut passim *Aristotelem* extollit; sic in limine causam Aristotelicæ contra *Recentiorum* Physicam graviter perorans, sua facit omnia, qvæ de sensu & sensibilibus *Princeps Philosophorum* edisseruit: professus tamen, non Philosophum sed Geometram se hic acturum, missis de Lumine qvæstionibus physicis, ad explicandas ejus proprietates, a motu certo dependentes, statim se accingit.

Intelligendo huic motui, a qvo Luminis propagatio, aerem nostrum compressionis & dilatationis, instar spongiæ, capacem esse supponit: cujus pori, aut vacua spatia, æthere, substantia infinities subtiliori, liqvidissimaqve repleantur. Cumqve firmamentum soliditate sua ætheri incluso impervium, eundem hunc gravitate sua versus centrum Universi deprimat; ab æthere porro & aerem eo versus premi: intendi pressionem hanc ab una parte, Solis & astrorum motu; ab altera, ignibus subterraneis, calore Solis & stellarum inferius producto, motibus & respiratione continua tot animalium, sufflaminari, & in diversis tractibus diversam effici.

Hoc præjacto, ipsum motum in duas species distingvit, unam Vi-

brationis; Undulationis alteram, a priori dependentem: Illam, omnibus corporibus gravibus in æqvilibrio suspensis, commotisqve; Hanc iis saltim, qvæ compressionis & dilatationis sunt capacia, partibusqve non implexis, sed uniformiter una super altera collocatis (velut aer, & fibræ musculorum corporis humani) constant, competentem. Utramqve motu spirituum, violento aliqvo impulsu ultro citroqve in musculis commeantium (qvi Vibrationis est) & musculorum, reciproco isto spirituum accessu recessuqve concitatorum, tremula agitatione (qvam Undulationem esse vult) non incongrue explicat: advocatis etiam in subsidium, qvas *lapilli guttæve* in aqvam casu excitari compe. rimur, Undulis. Qvibus, ut Philosophi hactenus compressionem dilatationemqve aeris, soni productricem, dextre compararint: sic se, tum exemplo defuncti P. Pardies (ex cujus de hoc argumento schedis ἀνεκδότοις bonam partem huc transtulerit) tum ipsa utriusqve convenientia ductum, easdem ad declarandam propagationem luminis non temere afferre contendit.

Hunc tamen Undulationis motum, tradit *Autor*, non reali translatione, qvod qvidem Undularum circuli a centro magis magisqve recedentes præ se ferre videantur; sed sola agitatione, & mutua veluti partium intumescentia & subsidentia perfici: qvod præter sensus judicium, levi Undularum attactu haustum, extensa chorda fortiterqve percussa manifestum faciat. Continuari vero eundem alterna partium vicinarum elevatione & depressione, juxta ductum rectarum, seu radiorum a centro motus qvaqvaversum divergentium: vi tamen Undulationum tanto magis continue imminuta, qvanto magis ipsæ fuerint auctæ; iisdem interea æqvali tempore se invicem subseqventibus, & elevationis depressionisqve vices peragentibus. Undulationes has in oram vasis, cui aqva infusa sit, impingentes, leges seqvi reflexionis; aliasqve Undulationes, prioribus varia decussatione, citra mutuum tamen sive impedimentum sive destructionem occurrentes, efficere: angulis incidentiæ & reflexionis constanter æqvalibus.

Ut porro seqventia tanto rectius intelligantur, ad productionem soni longo discursu *Autor* digreditur: ostendens eum simplicem qvalitatem minime esse; dependere vero a motu partium subjecti sui, eoqve nullo alio, qvam Vibrationis & Undulationis, teste individuo motuum horum soniqve nexu. Esse a diversitate Vibrationum, Undula-

dulationumqve diversa sonorum genera & intervalla, qvorum proportio pendeat a proportione celeritatis Vibrationum, qvæ qvo sæpius simul auribus allabantur, eo gratiores efficiant sonos; qvo infreqventius, eo ingratiores. Qvæ ut speciosis experimentis non inconcinne comprobat; sic & alia de tibiarum buccinarumqve sonis admiscet, de qvibus uberiorem, *peculiaribus de Vibrationis & Undulationis motu tractatibus*, ad qvos subinde provocat, doctrinam pollicetur: optandumqve foret, ut qvæ presse toto passim Tractatu hoc perseqvitur, qvæqve Schematum hinc inde nævis, Sculptoris dubio procul rudi negligentiæ debitis, obscura Lectori qveunt videri, Illorum editione, restitutis etiam integritati suæ figuris, reddantur explicatiora.

Hactenus Undulationes, qvantum illæ, vel in eodem medio directe continuantur, vel diverso ipsisqve impervio obviantes repercutiuntur, adeoqve luminis directæ & reflexæ propagationi inserviunt, saltim contemplando, refractionis oblitus omnino poterat videri: hujus itaqve causa ad Undulationes in diversæ densitatis medium offendentes descendens, has a circularibus in alterius generis curvas abire; in medium densius lapsas tardari, in rarius, incitari; radiumqve, cujus directionem illæ seqvantur, illic ad perpendicularem inclinari, hic a perpendiculari retrocedere; refractioniqve obnoxium esse demonstrat.

Post ad cardinem negotii versus, difficillimum pronunciat, citra Undulationis cujusdam adjumentum proprietates explicare Luminis; sive ignis subtilis loco, sive qvalitatis alicujus simplicis hoc censeatur: eundem vero, qvem superius inter sonum & Undulationem perpetuum adstruxerat nexum, inter hanc & Lumen oppido observari posse; ut nullum sit sine comite Undulatione Lumen, nullaqve sine Lumine Undulatio. Hujus interim generis Undulationes, originem suam actioni cujusdam ignis debentes, prioribus & impetu & subtilitate longe præstare: cum igneæ naturæ corpora sint actionis ut continuæ, sic maxime intensæ; qvorumqve partes qvæcunqve citissimo circa centrum suum motu raptæ, substantiam liqvidam circumjectam, dummodo hæc condensationis, ut æther, sit incapax, non possint non undiqvaqve premere: Notasse se vero alias in Physicis (qvod variis porro hic exemplis firmat) corpora luminosa respiratione, h.e. compressionis & dilatationis motu esse prædita; unde necesse sit, impetu illorum ad partes undiqve circumpositi medii delato, pressas has concitari ad producendum

freqventissimas citissimasqve Undulationes: qvarum qvæ a diversis corporibus sit ratio (præmisso, aerem devehendo sono destinatum, luminis simul esse vehiculum non posse; sed id officii substantiæ infinities subtiliori, & per hoc subeundis poris exilissimis idoneæ, cedere debere) exemplis ab accensa flamma, muscis, vitris piscibusqve noctu lucentibus, lapidibus luciferis, & præcipue Sole accersitis luculenter declarat.

Explicata sic Undulatione, radium directum propagante, non difficile arbitratur, reflexionis causam ex supra dictis intelligere: refractioni vero luminis mirum in modum ea consentire, qvæ de refractione Undulationum notaverit: cum *Cartesii*, *Maignani*, *Grimaldi*, *Hoockii* hypotheses, suo judicio, partim sibi non constent; partim refractioni explicandæ, aut nihil inserviant, aut minus consentiant. Memorabile interim esse, viam, qvæ radio ab uno puncto ad aliud per diversæ densitatis media tendenti, lege refractionis conficienda est, omnium possibilium esse facillimam. Cujus effati demonstrationem elegantissimam, a *P. Pardies Domino Fermatio* transmissam, vellemus ut *Autor*, promissi memor, ad calcem Tractatus hujus adjecisset: non indecorum principio huic dioptrico, in *Actis superioris anni p. 185* asserto, suffragium laturam.

Lumine ergo ad hunc modum se diffundente, corpora diaphana Undulationum oportet esse capacia, aut minimum libero easdem transitu non prohibere: sive id beneficio plurimorum rectorum pororum contingat; sive, qvod *Autori*, circa corpora pellucida solida, non improbabile est, solo materiæ subtilis in illorum partes valido impulsu. Cumqve eadem porro uniformia sint & continua: constare ex opposito, *Idem* disserit, opaca corpora constitui plurimis partibus *parvis*, maleqve inter se unitis, qvas radii recepti, ob crebram *refractionem* adeo obliqve feriant, ut turbata aut rupta Undulatione, *hi penetrare* tandem neqveant: unde etiam contingat, ut vitrum *in pulverem*, partesqve adeo irregularium figurarum comminutum, & duo liqvores, qvorum alter unctuosus sit & crassiusculus, commixti, ex pellucidis in opacorum transeant speciem.

Claudit Librum primum de Coloribus disqvisitio: qvos *Autor* nihil aliud esse statuit, qvam Lumen a corporibus plus minus reflexum: prout hæc partibus constant, vel *similibus*, qvalibus alba & nigra; vel dissimilibus, qvalibus cætera. Accedere proxime ad Lumen alba,

alba, idqve citra moram maxima vi reflectere; unde, cum radiis Solis ægre accendantur aut transitum præbeant, arcendo eorum ardori chartæ aut velaria coloris hujus opponantur: nigra contra, simul ac radiis speculo ustorio collectis *tangantur*, flammam concipientia, & ob partium mollitiem & *laxitatem* Undulationis reflexæ incapacia, radios acceptos non remittere, indeqve non male ab *Aristotele* tenebris, ut priora luci, comparari. Esse porro alba corpora e particulis rotundis, h. e. uniformibus, mediocriter politis, invicemqve probe compactis: nigra, ex *irregularibus*, circumqvaqve foraminosis, obtecta insuper & repleta aliis *mollibus* & laxis corpusculis, Lumen receptum absorbentibus. Inter has duas colorum species cæteros, purpureum, rubrum, flavum; cinereum, viridem, cæruleum, diversa partium albarum nigrarumqve *mixtione*, qvam distincte explicat, productos, diverso gradu, velut umbras, interjici.

Librum dein secundum a brevi dictorum de Undulatione *ἀνακεφαλαιώσει* exorsus, Visionem fieri pronunciat receptione specierum: qvæ qvomodo figuram & colores objectorum repræsentent, fuse explicat: non sine erudita doctrinæ de Coloribus, modo propositæ, *ἐξηγήσει*. Qva ratione ulterius species, intra oculum receptæ, in Retina pingantur; & qvæ oculi vicissitudines circa sensum *distantiæ*, magnitudinis & situs objectorum, singula exemplo oculi artificialis (qvo nomine cameram obscuram censet, per vitrum tubo specilli objectivum foramini insertum, objectorum imagines recipientem) dilucide illustrat: Choroidi in specie impressionem specierum, ipsamqve adeo Visionem abjudicat; qvod ob nigrorem ejus, nullius coloris susceptivum, tum objecta ibidem pingi neqveant; tum nec ipsa radios luminosos (qvippe corporibus nigris, juxta antegressa, maxime infestos) citra sensum doloris acerrimum sufferre diu possit.

Post oculi *fallacias*, ex interjectu, cum diaphani inæqvalis densitatis, tum corporis politi; picturæ Perspectivæqve (qvam posteriorem, peculiari *Autoris* opera exornatam, Orbis expectat eruditus) deceptionibus; binorum oculorum in idem objectum directione; corporum in gyrum celeriter actorum motu, aliisqve causis ortas expendit. Toto vero passim Libro complura scitu digna, pro præsentis identidem

tidem argumenti cognatione, opportune evolvit: inter qvæ ex pluribus, qvæ de luminosis excellentioris gradus, retinam lædentibus, & nubeculis coloratis post illa conspecta visum turbantibus, earumqve numero; de binis Aqvilarum palpebris, qvarum ope citra noxam fixis Solem intueantur oculis; de duplici aeris refractione, astrorum Solisqve diametrum apparentem prope Horizontem ampliante, Solisqve ibidem Elliptica figura; de igniculis & fulgore, in oculo, hemicrania aut ictu pugni lacessito, excitatis; de imaginibus & phantasmatis, qvæ recens expergefacti aliqvando videre sibi videntur, discutienda sibi sumsit *Autor*, suo merito referimus.

Ultimo Libro *Autor* remedia explicat corrigendo Visui; sive vitio aliqvo, sive naturali impotentia (per qvam nec remota nimis, nec nimis propinqva, aut exilia distincte concipimus) laboranti. Qvæ cum a vitris politis, oculum inter & objectum debite collocatis, *petenda sint*, duorum illa generum constituit, Microscopia & Telescopia: qvorum commune officium sit, cum radios ea ratione cogere, & ad oculum transmittere, qvæ conveniat distantiæ, ex qva nudo oculo objectum omnium distinctissime alias cernere liceat; tum, ut tanto clarius objectum intra oculum pingatur, eosdem qvam possit plurimos colligere: ea porro inter ambo differentia, ut Microscopia, objectorum prope positorum propria, radios ita disponant, tanqvam a longinqvo veniant; Telescopia contra, objectis longe dissitis admovenda, eadem hæc velut ex propinqvo intueri faciant. Utraqve porro in Simplicia, uno vitro constantia; & Composita, ex pluribus constructa, distingvens, qvæ singulorum propria sunt, ex qvo sc. Vitrorum genere sint, & qva ratione adornanda; qvomodo radios tum parallelos, tum divergentes afficiant; qvibus oculis, qvaliterqve se habentibus, & qvomodo applicanda; qvæ Vitrorum circularium proprietates; qvi simplicium & compositorum Telescopiorum & Microscopiorum defectus, & qvibus Microscopiis, Telescopiisqve aliis tollendi; ad finem usqve Libri discutit.

Ver-

Vernünfftmäßige Gedancken über die grosse Conjunction beider obersten Planeten Saturni und Jovis &c.
h.e.
DE CONJUNCTIONIBUS MAGNIS SATURNI *& Jovis earumqve ut & nuperæ effectibus & significationibus cogitata &c.*
JOHANNIS CHRISTOPHORI STURMII Prof. Altdorfini.
Altdorfii A. 1682. in 4.

QVibus nimis credulum & metui nimis obnoxium vulgus alias territare consueverunt Astromantæ, cum coeuntes cœlo Planetas superiores aut oculus detexit, aut Ephemerides indicarunt: his nuper vel maxime, cum uniti fulgerent Saturnus & Jupiter, animos hominum percellere laboravit qvidam, qvi schedis germanice editis Conjunctionis dictæ vim nimiopere extulit. At qvemadmodum Astrologiæ Judiciariæ nunqvam non bellum indixit sanior Philosophia: sic omnem a Conjunctionibus istiusmodi sive spem sive metum ex vano trahere, succincto hoc tractatu solide ostendit Clarissimus Autor. In qvo de Conjunctionibus Magnis, Veris & Mediis necessaria præfatus, qvam, cum sui ipsius, coeuntiumqve Planetarum; tum triplicitatum, in qvibus contingunt, ratione vim, ex consulto Astrologorum exerceant, qvibusqve rationibus hæc Conjunctionibus asseratur, recenset: suam post epicrisin subjungens; argumentorum ab Astrologis adductorum momenta expendit, qvamqve ruinosa, & partim absona, partim secum invicem pugnantia, nec ullo ab experientia fido & rationabili testimonio suffulta sint, demonstrat: suo ubiqve loco interspergens, qvæ supra memorati Astrologi de nupera Conjunctione effatis opponenda censuit.

JOANNIS HANCKE, Soc. Jes. & Prof. Olomucensis Tenebræ summatim illustratæ;
seu
Doctrina Eclipsium pro opportuniore discentium usu in compendium redacta.
Moguntiæ, 1682. in 4.

Cum doctrina Eclipsium inter Astronomicas principem citra dubiū teneat locum, suaqve & utilitate & jucunditate animos ad se præcipue rapiat cœlestium phænomenon cognoscendorum cupiditate flagrantes: & vero obvia fere compendia Tyrones calculo ineundo non satis instruant; *Riccioli* porro *Almagestum* (qvod de grandioribus aliorum etiam Astronomorum systematibus censendum est) multis intricatum difficultatibus, copiosa varietate sua non paucorum arceat studia; nec, qvi commodo discentium vulgati sunt in hanc rem Astronomorum libri, distractis dudum exemplaribus, compareant amplius: qverulis multorum desideriis Elucubratione hac subveniendum ratus *Autor*, qvæ ad supputanda qvarumcunqve Eclipsium momenta inserviunt, in compendium retulit.

Distinxit eam in tria capita: qvorum primum, Theoriam motus Solaris; alterum, Lunaris; Tertium, utriusqve Luminaris Eclipsibus propria, succincte dilucideqve complectitur: insertis unicuiqve capitum calculi exemplis, & subnexis Tabulis ad calculum necessariis, iisqve ex Riccioli mensuris & hypothesibus, in Almagesto usurpatis, propria sine dubio *Autoris* opera supputatis.

OCCULTATIO HYADUM ET PALILICII, qvæ accidit Vesperi die $\frac{9 \text{ Januar.}}{30 \text{ Decemb.}}$ Anni $168\frac{3}{2}$ observata Vratislaviæ a Gottf. Schultz D.

Dum circa horam qvintam vespertinam, invitante cœli serenitate, ad instantem Palilicii occultationem supellectilem necessariam instruebam & disponebam, commodum animadvertebam, *Lunam* duabus Stellulis qvartæ magnitudinis, & ut puto, sub gemina inter Hyades a Bayero θ insignita comprehensis, imminere, hasqve brevi ab illa tegendas esse. Qvare sine mora ulteriore me ad *observationem* accinxi, & primo binas dictas stellulas cum Lunæ vicinæ maculis contuli, tantumqve eas ab invicem distare deprehendi, qvantum *Insula Ficaria* a *monte Porphyrite* removetur. Mox existebant

Tem-

Tempus æstimatum. H. ′ ″	Tempus ex altitud. corr. H. ′ ″		Altitudines Qvadr. captæ. ° ′
4 55 0	5 4 1	*Mons Sinai* & *Insula Apollonia* major sub eodem Verticali.	
4 58 30	5 7 32	Borealior duarum stellularum, Mons *Ætna* & *Besbicus* Insula erant in eadem linea recta.	
5 5 10	5 14 14	Altitudo Capellæ.	48 52
5. 22. 0	5. 31. 9	Borealior occultatur, existens in linea recta cum Insula *Creta* & Ostio interiore *Freti Sirbonici*.	
5. 28. 40	5. 37. 50	Australior, Mons *Ætna* & Insula *Sardinia* in eadem linea recta.	
5. 34. 0	5. 43 12	Australior, Ins. *Creta* & *Byzantium* in linea recta.	
5. 35. 0	5. 44. 12	Australior occultatur.	
		Animadvertebam jam, aliam qvandam stellulam dimidia Tubi apertura a margine lunæ occidentali distantem, qvam & ipsam paullo ante tectam fuisse, Situs ad Lunam arguebat.	
		Emersionis momenta occupatione qvadam interveniente observare non potui.	
6. 25. 20	6. 34. 45	Altitudo lucidi Humeri Orionis. *dub.*	27. 33
7. 47. 0	7. 56. 47	Altitudo Canis minoris	23. 9
8. 1. 0	8. 10. 51	iterum capta *dub.*	25. 23
8. 8. 15	8. 18. 8	tertium capta	26. 20

Tempus æstimatum.	Tempus correctum.		Altitudines Qvadr. captæ.
H. ′ ″	H. ′ ″		° ′
8. 13. 20	8. 23. 14	Stellulæ antea occultatæ jam integra Tubi apertura a margine Lunæ occidentali removebantur, interqve hanc & illas medio fere ſpatio alia comparebat ſtellula, duabus iſtis minor, qvæ & ipſa tecta fuerat.	
8. 31. 50	8. 41. 49	Inſulæ *Creta* & *Corſica* ſub eodem Verticali.	
8. 43. 30	8. 53. 32	Palilicium dimidia Tubi apertura a ſectione lucis & umbræ diſtabat.	
		NB. *Tubi apertura præciſe capit diſtantiam ſtellarum E & O Tauri apud Bayerum.*	
8. 47. 30	8. 57. 33	Mons *Horminius*, Sinus *Syrticus*, & Palilicium in linea recta.	
8. 58. 30	9. 8. 36	Mons *Sinai*, Inſula *Cyprus* & *Circæium Promontorium* ſub eodem verticali.	
9. 5. 50	9. 15. 58	Palilicium, *Ætna* & Inſula *Besbicus* in eadem recta.	
9. 26. 40	9. 36. 53	Palilicium, *Sinus Syrticus*, & Inſula *Besbicus* in linea recta.	
9. 31. 45	9. 42. 0	Palilicium occultatur, exiſtens in linea recta cum *monte Ætna & Sinu Syrtico*.	
9. 45. 0	9. 55. 18	Altitudo Cordis Leonis *dub.*	24. 1
9. 46. 10	9. 56. 29	Mons *Sinai*, & *Promontorium*	

Tem-

Tempus æstimatum.	Tempus correctum.		Altitudines Quadr.
H. ′ ″	H. ′ ″		° ′
		ad *sinum Apollinis*, sub eodem verticali.	
9. 53. 30	10. 3. 51	Altitudo Cordis Leonis	25. 53
10. 27. 40	10. 38. 10	Mons *Sinai*, & Insula *Calathe* sub eodem verticali.	
10. 38. 0	10. 48. 32	Mons *Sinai* & margo orientalis *Siciliæ*, sub eodem verticali.	
10. 45. 20	10. 55. 54	Emersio Palilicii e disco Lunari.	
10. 47. 40	10. 58. 15	Palilicium, Montes *Horminius* & *Porphyrites* in linea recta.	
10. 49. 20	10. 59. 55	Mons *Sinai* & *Porphyrites* sub eodem Verticali.	
11. 8. 20	11. 19. 0	Altitudo Cordis Leonis	36. 58

Ex observatis hisce oppido liqvet, Stellam subiisse Lunæ discum paullo infra Paludem *Maræotim*, emersisse vero ad montem *Hippocum* inferiorem: Viam itinerariam ejus transiisse infra Paludem *Maræotim*, ad Insulam *Leam*, inter *Strophades*, supra *Melos*, per montem *Masicytum*, stringendo limbum australem montis *Didymi*, per *Antitaurum*, *Moschum* superiorem, *Fretum Ponticum*, *Caucasum* superiorem, & limbum australem *Insulæ Majoris* maris Caspii: & $1^{H}13'54''$ post corpus lunare delituisse.

LES MOEURS DES ISRAELITES, Par M. Fleury, Precepteur de Monseigneur de Vermandois.

i. e.

MORES ISRAELITARUM,

Auctore Dn. FLEURIO, *Dni de Vermandois Præceptore.*

Parisiis 1681. Hagæ Com. 1682. in 12.

 Nun-

NUnqvam satis inculcari populo Christiano potest pietatis & morum sanctimonia, his præsertim temporibus, qvibus *abundat iniqvitas & refrigescit charitas multorum.* Nec aliud Auctor hic, qvem *Jac. Benignus Bossuetus Episcopus Condomensis* (nunc Meldensis) in Approbatione Opusculi *Presbyterum Parisiensis Diœcesis* nominat, insigniqve mactat Elogio, propositum habet, qvam ut posita ob oculos vitæ simplicis ac innocentis idea, qvalem populus qvondam Israeliticus coluit, seculi lascivientis mores pro virili emendet, ac ad vitæ sanctitatem illustri exemplo Lectorem reducat. Ita enim persuasum habet, vitam populi Judaici sacris Veteris Testamenti literis descriptam, & naturæ societatiqve humanæ maxime conformem extitisse, & non in morum tantum disciplina, sed Oeconomia qvoqve ac Politia præceptiones saluberrimas præbere: vulgo vero non aliam ob causam despicatui duci, qvam qvod ab institutis hodierni ævi discrepet, qvæ a simplici ac frugali vitæ ratione, moribusqve pastoritiis & agrestibus veterum, ad ignaviam luxumqve deflexerunt. Eo itaqve studio vitam moresqve Israelitarum describere aggreditur, tribusqve partibus opusculum distinguit: *Prima* de Patriarchis, eorumqve nobilitate, libertate, divitiis, occupationibus ac frugalitate; *altera* de Israelitis ab exitu ex Ægypto usqve ad captivitatem Babylonicam, deqve eorum nobilitate, laboribus, agricultura, regione qvam incoluerunt seu Terra sancta, opibus, artibus, opificiis, vestitu, suppellectile, domibus, victu, purificationum ritibus, matrimoniis, uxoribus, liberorum educatione, studiis, elegantia, oblectamentis, luctu, religione, jejuniis, votis, prophetis, regimine, auctoritate senum, re forensi, militia, Regibus; *tertia* de Judæis ex captivitate reversis, eorumqve sub Persarum & Macedonum dominatu conditione, Regno Assamonæorum, posteriorum deniqve Judæorum corruptis moribus, sectis, ac superstitione, succincte terseqve disserens.

LES MOEURS DES CHRESTIENS, par M. Fleury.

Mores Christianorum, Auctore Dn. Fleurio.

Parisiis & Hagæ Com. 1682. in 12.

Idem

IDem in hoc libello Auctori scopus, qvi in superiori fuit, depravatos seculi mores corrigere. Præfigitur autem opusculo non Bossueti tantum Meldensis Episcopi, ut in priori factum, sed ipsius etiam Censoris Sorbonici luculentum *ejus encomium*; nec deerunt ex nostris, qvibus liber probabitur, plurima in eo memoratu digna, tum candide & eleganter narrata deprehensuris. Qvanqvam enim inter alias scribendi causas eam etiam *alleget* Auctor, ut Protestantes agnoscant, se sine ratione a Romana *Ecclesia* dissentire, qvæ in dogmatibus pura sit, etsi moribus & disciplina veterum sanctitati dissimilis: reperient tamen omnes multa, qvæ ad excitandum pietatis studium faciunt, collato veterum Christianorum cum nostri temporis hominibus exemplo. Id vero ita præstat Auctor, ut in qvatuor Epochas totam Christianæ vitæ & disciplinæ Historiam distribuat. Agit enim 1 de Ecclesia Hierosolymitana, qvalis in Actis Apostolicis describitur. 2 De statu conversionis tum Judæorum, tum maxime gentilium, post Apostolica tempora, usqve ad Constantinum M. 3 De proximo post Constantinum tempore. 4 De seqventibus a qvarto usqve ad nostrum seculis. Ubi præsupponit in Ecclesia Romana, ut jam notatum est, dogmatum puritatem; dissimulat etiam & emollit multa in externis, qvæ dissentientes possent offendere: ubi qvam bene hypothesi & causæ serviat, accommodatis, qvos citat, Auctorum testimoniis, alii dispicient. *Lapsum tamen morum in clero* & populo ingenue agnoscit, ejusqve varias causas refert. Relaxationem puta disciplinæ, pietatis, concordiæ, beneficentiæ, patientiæ, frugalitatis, aliarumqve virtutum, postqvam persecutiones cessaverunt: contagium vitiorum ab admixtis magno numero paganis, Christianismum non serio, sed Principum, & moris, aut commodi externi causa amplexis: Hæreses, præsertim in Oriente, monstrosas & multiplices; dein Mahometismum: In Occidente barbararum gentium irruptiones & cum Christianis coalitiones: oppressa per barbariem sacra studia, ac scholasticas contra invectas speculationes: Episcopos ad munia Aulica ac regendas provincias admissos: Casistarum, qvos vocant, varia inventa & relaxamenta circa Moralem Disciplinam: bella tum inter Christianos ipsos gesta, tum adversus Mahomedanos ad liberandam Terram sanctam suscepta: Literatos duobus abhinc seculis græcæ & latinæ lingvæ studio ad Ethnicorum mores reducendos, contemtimqve de religione judicandum perversos, &c. Qvibus omnibus opponere se scri-

ſcribit veterum Chriſtianorum, & qvi ſubinde in corruptioribus licet ſeculis eorum exempla æmulati ſint, mores & vitam; ſummeqve lætaturum, ſi qvi commoveri ſe patiantur, ut illorum exemplo, etſi in carne manentes, vivant tamen vita ſpirituali, qvæ genuinus effectus eſt gratiæ Jeſu Chriſti.

JOH. LUDOVICI FABRITII APOLOgeticus pro genere humano contra calumniam Atheiſmi, ad Ampliſſ. Virum Philippum van Heiring.

Heidelbergæ in 4. 1682.

ETſi Chriſtiani, qvi divinis teſtimoniis fidem habent, dubitare non poſſunt, notitiam DEI omnium mortalium mentibus inſitam, juxta cum contemplatione operum DEI mirandorum ſumtam efficere, ut nulla gens adeo barbara ac efferata eſſe qveat, qvin Numen aliqvod (qvalecunqve tandem,) credat, idqve cultu qvodam proſeqvendum eſſe cenſeat; Tamen infelici hoc noſtro ævo legimus, non deeſſe, qvi, ut graviſſimo omnium ſceleri, atheiſmum puta, patrocinium parent, affirmare haut dubitant, & olim fuiſſe & extare adhuc populos ac gentes integras, qvæ beſtiarum inſtar, ſine DEO, lege & omni religione vitam hanc tranſigant. Hanc calumniam, qvæ generis humani parti affingitur magnæ, ut dilueret *Autor Clariſſimus*, Ariſtæum *primum* opponentem ſibi tum ex veteri, tum nova gentium hiſtoria, populos omni religione deſtitutos introducit; *deinde* vero oſtendit certiori hiſtoriarum fide nixus, falſa eſſe, qvæ de atheiſmo veterum Germanorum ex Jul. Cæſare, Romanorum ante Numam Pompilium, Græcorum ante informationem ab Ægyptiis acceptam, incolarum novæ Zemblæ, Zeilan, Souldanorum in extremæ Africæ oris, habitatorum Magellanicæ, Peruvianorum, Braſilianorum ante Chriſtianorum in illas regiones adventum, Chichimecarum in nova Hiſpania, & aliarum gentium barbarie atheiſtica adferri ſolent. Concedit, qvod per abuſum ſanæ rationis, multæ gentes neſciant cultum veri Numinis; ſed inde illis abjudicare velle omnem religionem, abſurdum putat. Qvare tandem diſſertationem hanc ſuam concludit, *nullam gentem adeo eſſe efferatam, qvin Numen aliqvod habeat.*